MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80066-5

AUTHOR:

HOFFMANN, FRANZ JOSEF

TITLE:

QVOMODO QVANDO TITVS IMPERATOR...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1883

Master Negative #

91-80066-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hoffmann, Franz Josef, 1858-
Qvomodo qvando Titvs imperator factvs sit...
Bonnae, typis P. Nevsseri, 1883.
51 p. 22 cm.

Thesis, Bonn.


Volume of pamphlets


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6.25.91 INITIALS VWD
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0 9.0



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QVOMODO QVANDO TITVS IMPERATOR FACTVS SIT.

HANC

DISSERTATIONEM HISTORICAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIII MENSIS MARTII A. MDCCCLXXXIII HORA XII

PVBLICE DEFENDET

QVI SCRIPSIT

FRANCISCVS IOSEPHVS HOFFMANN

RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

WALTER FVCHS, STUD. HIST.

GVILELMVS SCHVRZ, CAND. HIST.

BONNAE

TYPIS P. NEVSSERI.

PARENTIBVS MEIS.

Nonis Augustis[1]) a. 70 dum templum ardet Hierosolymis Titus a militibus imperator consalutatus est.

Atque re publica libera legiones duci acclamavisse, qui suis auspiciis e proelio discesserat superior, nemo est qui nesciat. Postquam Caesar[2]) summum imperium cum dictatura obtinuit, etiam legatis[3]) a militibus inditum est nomen imperatorium. Quod cum Octavianus[4]) a. 725, ut potentiam significaret, sibi assumpsisset proprium, neque Crasso[5]), qui eodem anno a militibus imperator in Thracia appellatus erat, concessum est, neque quisquam ex eo tempore praeter principes auctus est nomine imperatorio, nisi ab Augustis ipsis.

Namque Tiberio Claudio Neroni Octaviani privigno, cum a 742 a legionibus salutatus esset imperator, hoc nomen pater[6]) denegavit, neque minus Drusum[7]) Tiberii fratrem nomen imperatoris a. 763 a militibus datum recipere vetuit idem princeps. Quae nomina postea Augustum ipsum dedisse privignis testes sunt Tacitus[8]) et Dio Cassius[8]). Quod autem a. 763 senatum Augusto et Tiberio imperatoris nomen decrevisse Dio Cassius[9]) prodidit, auctor senatus consulti Augustus censendus est. Atque sub principatu Tiberii eadem valebat ratio. Veluti cum Germanicus, Drusi filius, qui im-

1) Flav. Jos. bell. Jud. VI, 4, 5. VI, 6, 1. Oros. 7, 9. cfr. Noris ann. et epoch. Syrom. dios I, p. 50—53.

2) Dio Cass. 43, 1.

3) Mommsen, Röm. Staatsr. I, p. 122.

4) Dio Cass. 52, 41.

5) Dio Cass. 51, 25. Mommsen l. c. I, p. 123 n. 3.

6) Dio Cass. 54, 33, 5. cfr. 54, 31, 4.

7) Dio Cass. 54, 33, 5.

8) Tac. ann. 1. 3. Dio Cass 55, 6.

9) Dio Cass. 56, 17.

perio proconsulari [1]) praeditus in Germania suis auspiciis bellum gerebat, a. 16. Chaucos apud Idistavisum devicisset, milites in loco proelii Tiberium [2]) imperatorem salutaverunt. Ipse autem Germanicus auctore Tiberio [3]) nomen imperatoris eodem anno recepit. Blaeso quoque, proconsuli Africae provinciae, qui a. 22 Tacfarinate repulso a legionibus antiquo more imperator consalutatus est, hunc honorem Tiberius [4]) concesserat eique ultimo. Neque legiones cuiquam postea nisi cum imperio nomen imperatoris tribuerunt. Atque Caligula interfecto Claudius [5]), post Claudii necem Nero [6]) militum urbanorum acclamatione acceperunt principatum. Deinde Galba [7]) a legionibus Galliae imperator salutatus, etsi se legatum senatus Romani profitebatur, Nerone vivo iam edicta per provincias dimisit [7]). Qui cum senio et avaritia in militis urbani odium incidisset, Othoni [8]) cum nomine imperatoris principatum obtulerunt praetoriani: XVIII Kal. Febr. a. 69. Quindecim autem diebus ante Vitellius [9]) a legionibus Germaniae inferioris imperator appellatus Galba etiamtum Romae imperante „ministeria [10]) principatus per libertos agi solita in equites disponit, vacationes [11]) militum e fisco numerat"; atque etiam Vespasianus [12]), cui Kal. Jul. a. 69 legiones Alexandri, IV. non. easdem milites Judaici nomen imperatoris [12]) tribuerunt, quamquam Vitellius imperabat Romae, apud Antiochenses aurum argentumque [13]) signavit, ex amicis autem alios procurationibus, alios senatorii [13]) percoluit ordinis honore.

1) Tac. ann 1, 14.
2) Tac. ann. 2, 18.
3) Tac. ann. I, 58.
4) Tac. ann. 3. 74.
5) Suet. Claud. 10. Dio Cass. 60, 1.
6) Tac. ann. 12, 69. Suet. Nero 8.
7) Suet. Galba 10. Dio Cass. 63, 23.
8) Tac. hist. 1, 27 sqq. Suet. Otho 6. Dio Cass. 64, 5.
9) Tac. hist. 1, 56. 57. 58.
10) Tac. hist. 1, 58.
11) Tac. hist. 1, 58.
12) Tac. hist. II, 79. Flav. Jos. bell. Jud. IV, 10, 4. Suet. Vesp. 6.
13) Tac. hist. II, 82.

Eadem ratione, ut ad tempora posteriora progrediar, M. Aurelio imperitante a. 175 Avidius Cassius [1]), qui in Syria imperator consalutatus est, sub principatu Didii Juliani et Septimius Severus [2]) et Pescennius Niger [3]), ille a legionibus Germaniae, hic a Syriae exercitu imperatores appellati statim sibi imperium vindicaverunt. Namque Avidius Cassius „eum, qui sibi aptaverat ornamenta regia, statim praefectum praetorio fecit" [4]), Septimius autem Severus et Pescennius Niger anno 193 nummos signaverunt imperatoris Augustique [5]) nominibus impressis.

Neque minus Clodius Albinus [6]), quem iam a. 193 a militibus ad imperium vocatum Severus [7]) Caesaris dignitate sibi conciliaverat, ita ut in nummis et aureis argenteisve et aeneis post a. 193 signatis appareat Clod. Sept. Albin. Caesar, imperator autem a. 196 a legionibus Galliae [8]) appellatus nummos curavit [9]) cudendos, in quibus profertur Imp. Caes. D. Cl. Sep. Alb. Aug. Sed haec hactenus. Qui vero cum voluntate principis imperatorium nomen receperunt, ei non assumpserunt a militibus, veluti Traianus [10]), Antoninus [11]) neque ut ad tempora accedam, quibus imperium duos habebat Augustos, Commodus [12]), Caracalla [13]).

Iam satis exemplorum cum attulisse mihi videar, scriptorum testimoniis sententiam meam confirmabo. Atque Julius Capitolinus et Clodium Albinum et Pescennium Nigrum [14]),

1) Dio Cass. 71, 22 sqq. Vit. Avid. Cass. 7.
2) Dio Cass. 73, 15. Vit. Sept. Sev. 5.
3) Dio Cass. 73, 15. Vit. Pesc. Nig. 2.
4) Vit. Av. Cass. 7.
5) Cohen III, p. 213 sqq. et 233 sqq.
6) Vit. Clod. Alb. 1. Dio Cass. 73, 15.
7) Dio Cass. l. c.
8) Dio Cass. 75, 6. Vit. Sept. Sev. 10. Clod. Alb. 8.
9) Cohen III, p. 222 sqq.
10) Plin. Pan. 9 et alias. Dio Cass. 68, 3, 4.
11) Vit. Hadr. 23. Vit. Ant. Pii 4.
12) Vit. Comm. 2 et 12.
13) Falso Spartianus narrat Ctesiphonte capta milites Caracallam fecisse Augustum. cfr. Stobbe, Philol. 32 p. 52 et vit. Severi 16.
14) Vit. 12.

quamvis eos rebellavisse dicat, veros censet Augustos; Vulcatius autem Gallicanus in vita Avidii Cassii [1]) sic iudicavit: „proposui (enim) Diocletiane Auguste, omnes, qui imperatorum nomina sive iuste sive iniuste habuerunt, in litteras mittere, ut omnes purpuratos Augustos agnosceres."

Quibus de causis dubium non est quin exercitus Judaicus acclamatione Titi contra Vespasianum, ut Julii Capitolini verbo utar, rebellaverit. Hoc Suetonii [2]) narratione confirmatur milites Titum circa nonas Septemb. a. 70 decedentem Hierosolymis detinuisse nec non et minaciter efflagitasse, aut remaneret aut secum omnes pariter duceret.

Sed etiamsi legiones Judaicas a Vespasiano defecisse in promptu est, Titum quoque a patre descivisse e sola acclamatione nondum efficitur. Neque enim, ut exempla afferam, Germanicus [3]), cui legiones Germaniae a. 14 imperium obtulerunt, Tiberio, neque Rufus [4]), eiusdem provinciae legatus, qui a. 68 a militibus imperator appellatus est, Neroni imperium detrectavisse censendi sunt, cum principatu repudiato iura acclamatione sibi data non exercuerint.

Quapropter de Tito amplior est quaestio instituenda.

A Vespasiano [5]), qui a. 67 Judaeae [5]) praepositus erat, Titus in numerum legatorum legionum [6]) assumptus arma fortiter gessit bello Judaico. Eundem Nerone etiamtum imperante ad Mucianum [7]) Syriae legatum missum esse testis est Flavius Josephus [7]). Quem virum singularem quin iam

1) Vit. Av. Cass. 3.
2) Suet. Tit. 5. Suetonium quod memoriae prodidit Titum Hierosolymis captis imperatorem appellatum esse, rem haud accurate narravisse e Flavio Josepho concludendum non est; salutatio enim quin urbe expugnata denuo Tito oblata sit, vix dubium est.
3) Tac. ann. 1, 35. Dio Cass. 57, 5 sqq.
4) Dio Cass. 63, 25.
5) Tac. hist. 1, 10. 2, 4. Flav. Jos. b. J. 3, 1, 2. Suet. Vesp. 4.
6) Suet. Vesp. 4. Tit. 4.
7) Flav. Jos. bell. Jud. 4. 1, 5. Ex hoc loco apparet Titum fuisse inter amicos, qui teste Tacito „olim" consilia miscuerant (Tac. hist. 2, 5 et 7).

tum et patri et sibi conciliare studuerit dubium esse non potest. Paullo post cum Vespasianus Vindice [1]) tumultuante in spem imperii quandam ingressus esset, Titus erat, qui Mucianum [2]) necessitudine coniungeret sibi maiore, quo adversante Vespasiani spes plane ad irritum cecidisset. Hoc tempore nuntius venit in Judaeam Galbam [3]) gubernacula rei publicae suscepisse. Cui [3]) ut gratularetur, namque occasio venisse nondum videbatur, Titus Romam petivit, ipse honorum cupidissimus [4]). Quo in itinere quocunque veniebat, omnium in se vertit oculos [5]) et fama ingenii et maiestate quadam sibi innata, rumorque spargebatur adoptionis causa Romam eum esse arcessitum. Sed Titus cum Corinthi [5]) accepisset nuntium Galba occiso Othonem rerum potitum esse, in Germania arma movere Vitellium, tempus agendi adesse ratus statim ex itinere rediit. Neque vero praetermisit, quin in Cypro [6]) insula a Paphia Venere oraculum peteret de imperio, non tam ut ipse spem affectaret imperii, quam suam augeret famam. Patri, qui legiones sacramento Othonis [7]) iam adegerat, obvenit Caesareae. Paullo post ubi advenit nuntius Vitellium [8]) principatum obtinere, Vespasianus num militum favore uteretur dubitans legiones in verba novi principis iurare iussit. Sed Titus, „consiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius" [9]), hunc ut cum patre ad Carmelum [10]) montem conveniret commoverat. Ibidem legatus Syriae senem haesitantem [11]) ne deesset occasioni oblatae valde admonuit. Cuius viri in Vespasianum studii Titum fuisse

1) Flav. Jos. bell. Jud. 4, 8, 1.
2) Tac. hist. II, 5.
3) Tac. hist. 1, 10. 2, 1. Sueton Tit. 5. Flav. Jos. b. J. 4, 9, 2.
4) Tac. hist. 2, 1.
5) Tac. l. c. Flav. Jos. bell. Jud. 4, 9, 2. Suet. l. c.
6) Tac. hist. 2, 2. Suet. l. c.
7) Tac. hist. 1, 76. 2, 6.
8) Tac. hist. 2, 74 sqq. Flav. Jos. bell. Jud. 4, 9, 2.
9) Tac. hist. 2, 79.
10) Tac. hist. 2, 78.
11) Tac. hist. 2, 76. Flav Jos. b. J. 4, 9, 2 sqq.

auctorem gravissimum videmus; atque Tacitus eundem fuisse „praecipuam concordiae fidem“ [1]) pronuntiat, in quem Mucianum fuisse proniorem [2]), quam in Vespasianum. Cum patre, qui Kal. Jul. [3]) a. 69 a legionibus Tiberii Alexandri, V. non. easdem a suis militibus imperator appellatus est, Alexandriam [4]) contendit. Qua in urbe nuntio per privatos [5]) allato principatus honores a senatu Vespasiano esse decretos, consulatum [6]) et ipse et pater inierunt a. 70 initio. Quo in consulatu a patre in Italiam resque urbis intento validissimam exercitus partem ad reliqua belli Judaici [7]) perpetranda accepit; simul „manere apud exercitus Titum ad omnes principatus novi eventus casusve utile videbatur“ [8]). Summa igitur concordia inter Vespasianum atque filium maiorem videtur intercessisse, neque e scriptoribus effici potest, nisi Titum omnibus viribus adnisum esse ad principatum patri parandum. Immo Tacitus [9]), ut omittam Flavium Josephum, quem hac de re caute consulendum esse apparet, sermonem esse narrat Vespasianum valde gavisum esse Titi pietate. Sed ut primum ad hunc accedam scriptorem, nisi Tacitum ipsum, quod voce „ferunt“ narrationem inducat, prorsus de veritate dubitavisse mihi assentiaris, similes sermones in fabularum numerum referundos esse infra demonstrabimus argumento gravissimo. Deinde reputandum est Titum cum Muciano quodammodo fuisse conditorem principatus Vespasiani nimis

1) Tac. hist. 2, 5.
2) Tac. hist. 2, 74.
3) Tac. hist. 2. 79. Flav. Jos. b. J. 4, 10, 4. Suet. Vesp. 6.
4) Flav. Jos. bell. Jud. 4, 11, 1. 5, 1, 1: „ἔτι δὲ αὐτοῦ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρίαν συγκαθισταμένου“ etc. 6, 6, 2: „καὶ χωρισθέντων εἰς τὴν Αἴγυπτον ἐμοῦ τε καὶ τοῦ πατρὸς . . .“ cfr. Tac. hist. V, 1. Apparet igitur, quod Suetonius prodidit (Tit. V „et ad perdomandam Judaeam relictus“) esse refutandum.
5) Tac. hist. 4, 3. 4, 51. Flav. Jos. b. Jud. 4, 11, 5.
6) Tac. hist. 4, 3. 4, 38.
7) Tac. hist. 4, 51. 5, 1. Flav. Jos. b. Jud. 4, 11, 5. Dio Cass. 66, 4, 1.
8) Tac. hist. 5, 10.
9) Tac. hist. 4, 52.

„mutantis“. Atque si Flavio Josepho [1]) credas, socius imperii statim a militibus habebatur, idemque scriptor [2]) et Vespasiano et Tito imperium a Deo anno 69 traditum esse pronuntiat. Neque minus Suetonius [3]) Titum nominat imperii compotem etiamtum in Judaea cum patre morantem. Quam Titi potentiam quandam post necem Vitellii in maius provectam esse Tacitus [4]) testis est, qui „maiore“ eum „tum vi famaque egisse“ narrat „certantibus provinciarum et exercituum studiis“. Quapropter nescio an non Vespasianus, sed Titus ipse fuerit auctor, ut susciperet bellum Judaicum; namque iam mense Julio a. 69 in concilio ducum Beryti [5]) placuerat Titum „instare Judaeae“ [6]). Atque etiamsi quaestio, utrum Vespasianus filio libenter tradiderit exercitum, an Titus ipse hoc bellum sibi elegerit adhuc restat integra, Tiberius Alexander [7]), quod incertis Vespasiani rebus primus ad partes eius publice transierat, dignus dux legionum, quae in Judaea a. 70 bello interfuerunt, a Vespasiano electus est, ut consiliorum socius adiutorque Tito adesset aetate atque experientia superior. Quod fuitne indicium suspicionis cuiusdam Vespasiani, ne filius intemperantius opibus uteretur?

1) Flav. Jos. b. Jud. 4, 10, 3: „εἴτε οὖν ἐμπειρίᾳ γήρως προσήκει τὸ ἄρχειν Οὐεσπασιανὸν αὐτοὺς (milites) ἔχειν, εἴτε νεότητος ἀλκῇ Τίτον.“
2) Flav. Jos. b. Jud. 5, 1, 1: „ἔτι δὲ αὐτοῦ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρείαν συγκαθισταμένου τῷ πατρὶ τὴν ἡγεμονίαν νέον αὐτοῖς ἐγκεχειρισμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ.“
3) Suet. Tit. 5: „etiam de imperii spe confirmatus est. Cuius brevi compos et ad perdomandam Judaeam relictus.“
4) Tac. hist. 5, 1. Orellii sententiam (not. ad l. c.) Titi vim famamque opponi patris, quamdiu hic fuerit Judaeae legatus, refelli censeo voce „tum“, quae ad tempus spectat, quo utriusque res ex privatis in principales erant commutatae.
5) Tac. hist. 2, 81. Flav. Jos. b. Jud. 4, 10, 6.
6) Tac. hist. 2, 82.
7) Flav. Jos. b. Jud. 5, 1, 6: „φίλων δὲ δοκιμώτατος εὔνοιάν τε καὶ σύνεσιν Τιβέριος Ἀλέξανδρος, πρότερον μὲν αὐτὸς τὴν Αἴγυπτον διέπων, τότε δὲ τῶν στρατευμάτων ἄρχων κριθεὶς ἄξιος, ἐξ ὧν ἐδεξιώσατο πρῶτος ἐγειρομένην ἄρτι τὴν ἡγεμονίαν, καὶ μετὰ πίστεως λαμπρᾶς ἐξ ἀδήλου τῇ τυχῇ προσέθετο. σύμβουλός γε μὴν ταῖς τοῦ πολέμου χρείαις, ἡλικίᾳ τε προὔχων καὶ κατ' ἐμπειρίαν εἵπετο.“

Sed haec res elucebit clarius, si quacum potestate bellum Judaicum a. 70 gesserit instituemus quaestionem. Namque est distinguendum, quam vim Tito vindicent scriptores vocibus amplis parumque definitis quantum valuerit respicientes, et qua potestate secundum rei publicae disciplinam legitima quadam ratione fuerit ornatus.

Atque usque ad postrema tempora Neronis legatus [1]) Aug. pr. pr. Syriae bellum in Judaea gerebat, quam procurator [1]) administrabat illi legato subiectus. Post cladem Cestii Galli [2]) a Nerone Vespasianum [2]) missum esse, ut „omnibus Syriae copiis praeesset", Flavius Josephus narrat eumque ducem a Nerone electum ex Antiochia [3]), quae urbs Syriae erat metropolis, exercitum assumpsisse scriptor Judaicus [3]) memoriae prodidit. Sed Judaeam tantum ut provinciam [4]) administrabat munere fungens legati [5]) pr. pr., Mucianus [6]) autem legatus Syriam cum quattuor legionibus in pace obtinebat. Qui cum post Kal. Jul. a. 69 provinciis decessissent, Collega [7]) legatus res Syriae administrandas ad tempus suscepit, Caesennius autem Paetus [8]) a. 70 a Vespasiano Syriae praepositus est. Quapropter Titus, nisi suis auspiciis res gerebat, legatus Aug. pr. pr. Judaeam tantum provinciam accepit administrandam. Suis autem auspiciis bellum gubernare non potuit, cum Judaea esset provincia Augusti, nisi imperio proconsulari [9]) sive imperio maiore auctus a Vespasiano assumptus fuerat collega qui dicitur imperii.

Atque in nummis Vespasiani post Kal. Mart. [10]) a. 71 signatis apparet Caesar Aug. f. des. imp.

1) Marqu., Röm. Staatsv. I, p. 409. 411. 412.

2) Flav. Jos. b. Jud. 2, 19, 7. 3, 1, 3: „*πέμπει τὸν ἄνδρα διαληψόμενον τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἐπὶ Συρίας στρατευμάτων.*" cfr. Tac. hist. 1, 10. 2, 5.

3) Flav. J. b. Jud. 3, 2, 4.

4) Tac. hist. 2, 5: „vicinis provinciarum administrationibus".

5) cfr. Tac. hist. 2, 80.

6) Tac. hist. 1, 10. 2, 5.

7) Flav. Jos. b. Jud. 7, 3, 4.

8) Flav. Jos. b. Jud. 7, 3, 4.

9) Mommsen, Röm. Staatsr. I, p. 660. II², p. 1099, qui nominat hoc imperium proconsulare „secundäres" Imperium proconsulare.

10) Cohen, Vesp. 46—51. 204. Nummos post Kal. Mart. signatos esse

Quibus cum nummis convenit, quod narrat Philostratus [1]) Titum Romae imperatorem renuntiatum esse et his praemiis dignatum abiisse, (Romam) ut patri particeps imperii fieret. Hac designatione non solum nomen imperatorium, sed etiam potestatem hoc nomine significatam contineri et e Philostrati verbis efficitur, et ipsa designatione apparet. Nomine autem imperatoris continetur imperium proconsulare [2]), quod dicitur extra urbem. Cum Titi enim imperatorio nomine eam vim fuisse coniunctam, nummis quoque comprobatur, in quibus nomine imperatoris secundum principum consuetudinem aut vero nomine utitur: sic in eis, quos Vespasianus [3]) annis 71/72 aliquos cudendos curavit, neque minus in ipsius nummis aureis argenteisque, aut titulo, velut in plurimis nummis aeneis. Sequitur igitur, ut Titus ante Kal. Mart. a. 71 imperium proconsulare nondum acceperit. Qua de causa legatus Aug. pr. pr. bellum Judaicum a. 70 gessisse censendus est. Sed ut ad Tiberium Alexandrum revertamur, Flavius Josephus eum nominat „*τῶν στρατευμάτων ἄρχοντα*" [4]) et „*πάντων τῶν στρατευμάτων ἐπάρχοντα*" [5]). Atqui in provinciis Augusti singulis legionibus praefuisse legatos legionum [6]) satis constat, toti exercitui legatum Aug. pr. pr. Ergo Tiberium Alexandrum quinque accepisse fasces bono iure contenderes, praesertim cum Flavius Josephus [7]) eum a legatis singularum legionum seiungat, nisi Titus bellum gerendum suscepisset; neque enim

iude efficitur, quod Domitianus eisdem exhibetur cos. des. it. (cfr. Mommsen, Röm. Staatsr. I, p. 569.)

1) Philostr. vit. Apollon 6, 30.

2) cfr Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 746 et 816. 1095 n. 4 et 1100 n. 1.

3) Cohen, Vesp. Tit. 1—5. 6. Vesp. Tit. Dom. 8. Vesp. 536. 537. Mommsen, Wiener Num. Ztschr. III, p. 462 sqq.

4) Flav. Jos. b. Jud. 5. 6, 1.

5) Flav. Jos. b. Jud. 6, 4, 3.

6) Momms., Röm. Staatsr. II, p. 235.

7) Flav. Jos. b. Jud. 5, 12, 2: „*πρώτην φυλακὴν τῆς νυκτὸς περιιὼν αὐτὸς* (Titus) *ἐπεσκέπτετο, τὴν δευτέραν δὲ ἐπέτρεψεν Ἀλεξάνδρῳ, τὴν τρίτην δὲ ἔλαχον οἱ τῶν ταγμάτων ἡγεμόνες*" (legati legionum).

repugnat, quod primum Judaeam[1]) procuraverat, deinde apparet Aegypti[2]) praefectus, quibus muneribus equites functos esse nemo[3]) est qui nesciat, cum vix sit dubium, quin imprimis Tiberius Alexander paullo post Kal. Jul. a. 69 donatus sit senatorii ordinis honore[4]). Quapropter Tiberius Alexander singularem quandam potestatem a Vespasiano accepisse putandus est, ita ut quodammodo socius appareat Titi in bello gerundo. Atque equidem huius potestatis caussam fuisse censeo, quod Vespasianus consiliis Titi altiora meditantis haud ita confisus quasi quoddam sufflamen filii studiis dare voluerit.

Sed bono iure tu me interpelles, quod Flavius Josephus Tiberii Alexandri omnino fecerit mentionem sane mirum esse. Atque caute quaerendum esse ex hoc scriptore iam supra[5]) diximus, quo animo inter se fuerint Vespasianus atque Titus. Namque ad discordias, si quae inter Flavios intercederent, obscurandas etiam veritatem eum esse aspernatum satis magno argumento est ratio, qua Domitiani[6]) expeditionem a. 70 in Gallos Germanosque factam depinxit. Quo bello minorem Vespasiani filium summam gloriam bellicam sibi paravisse narrat, cum Tacitus et Suetonius et Dio Cassius hoc consentiant, Domitianum non tam rebus interfuisse gerundis, quam opes sibi parare studuisse.

Ea ratione quin sit usus de Vespasiano atque Tito cum dubium non sit, quae prodat de amore alterius in alterum ea perexigui momenti esse apparet. Quapropter verisimile non est, Flavium Josephum, si quae signa et argumenta discidii alicuius cognoverit, ea non transiisse silentio. Sed sive nimis

1) Flav. Jos. b. Jud. 2, 11, 6. Ant. Jud. 20, 5, 2.
2) Flav. Jos. b. Jud. 2, 18, 7. Tac. hist. 2, 74, 79.
3) Mommsen, Röm. Staatsr. II, p. 236.
4) Tac. hist. 2, 82.
5) supra p. 6.
6) Flav. Jos. b. Jud. 7, 4, 2. cfr. Tac. hist. 4, 86. Suet. Dom. 2. Dio Cass. 66, 3 Tacitus quidem utrum in patrem Domitianus bellum agitaverit, an adversus fratrem opes viresque dubitat. Sed Suetonium recte iudicavisse infra elucebit, adversus Titum agitavisse Domitianum.

ignoravit magistratuum officia, id quod equidem iudico plerumque, sive quaedam non tam signa discidii, quam maioris Titi gloriae putavit, quem ut celrebaret sibi praecipue proposuisse videtur in describendo bello Judaico, multa alia inveniemus apud hunc scriptorem, quibus de Vespasiani Titique consiliis edocemur haud amicissimis.

Atque Titum bello Judaico legati munere functum esse vidimus. Quam non excessit potestatem, quod e Syria[1]) duodecumam legionem exercitui adiunxit; namque Vespasianus[2]) legatus a. 67 copias ex Antiochia abduxerat.

Sed ut revertamur ad acclamationem legato Vespasiani oblatam, quae quid sibi voluerit aut ignoravit Flavius Josephus aut dissimulare studuit, Titum die salutationis dicentem fecit idem scriptor[3]), se et patrem esse factos imperatores, cum usque ad id tempus Vespasiani filium vel „*καῖσαρα*“ vel „*ἡγεμόνα*“ appellet. Titus autem ut verbis se imperatorem professus est, ita quae principi tantum licebant, postquam imperator appellatus est, usurpavit. Namque IV. non Sept.[4]) a. 70, quo die Hierosolyma expugnavit, cum milites, qui bello Judaico aliquid praeclari gesserant, in contione laudavisset, et coronis aureis et torquibus aureis et hastis longis aureis et signis argenteis donavit, unius cuiusque ordine provecto. Qualia dona praeter Augustos eis quoque qui imperio proconsulari[5]) aucti bella gesserant, donare quamvis liceret, quemquam sua sponte ornamenta quaelibet[6]) hoc modo dedisse exemplo confirmari non postet. Tribus diebus post[7]) magnam exercitus partem, quocunque quisque ire vellet, di-

1) Flav. Jos. b. Jud. 5, 1, 6. Tac. hist. 5, 1.
2) Flav. Jos. b. Jud. 3, 1, 3. 3, 2, 4.
3) Flav. Jos. b. J. 6, 6, 2: „*καὶ οὐκ ἠδέσθητε ταράσσειν αὐτοκράτορας γεγενημένους.*“
4) Flav. Jos. b. J. 7, 1, 3. 6, 8, 5. 6, 10: „*ἡμέρᾳ Γορπιαίου μηνὸς ὀγδόῃ*“. cfr. Noris. ann. et Syrom. epoch. p. 53. Brinkmeyer, Prakt. Hanb. d. hist. Chron. p. 43 (59).
5) Mommsen. Röm. Staatsr. II, p. 255.
6) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 822 et 1101 n. 1.
7) Flav. Jos. b. Jud. 7, 1, 3.

misit, decimam legionem, quae antea ad Euphraten castra habuerat, Hierosolymis praesidio remanere iussit, duodecimam legionem e Syria, qua in provincia fuerat antea, ad Melitenen ad Euphraten in confinio Armeniae et Cappadociae sitam misit. Qua in re amplius, quam legato Judaeae provinciae licebat, progressus est. Neque enim secundum principis mandata, sed suo arbitrio [1] legionibus stativa eum dedisse, expressis verbis Flavius Josephus [1] pronuntiat. Quam potestatem, quamquam legato quoque ad exemplum Corbulonis [2] maiore potestate ornati dari potuisse mihi obicias, quo referas, quod Collega [3] Syriae legatus, cum Antiochenses sub finem a. 70 in incolas Judaicos saevirent, de tota re ad Titum nuntiare voluit:

Sed Titum verum sibi imperium iam nonis Sept. a. 70 vindicavisse luce clarius eo illustratur, quod hoc die statuit [4], ut duae legiones dum in Aegyptum advenisset, se sequerentur. Quam in provinciam ne Germanico [5] quidem, cui ad Orientem a. 17 profecturo „decreto patrum permissae provinciae quae mari dividuntur, maiusque imperium, quoquo adisset, quam iis, qui sorte aut missu principis obtinerent“ [5], licuit introire. Namque „Tiberius . . . acerrime increpuit, quod contra instituta Augusti non sponte principis Alexandriam introisset“ [6]. Quae instituta Augusti etiam posterioribus valuerunt temporibus. Avidius enim Cassius [7], quem M. Aurelius Orienti post L. Veri reditum proposuerat [7], cum Bucoli, qui dicebantur, a. 172 fecissent seditionem, non sua sponte Aegyptum contendit, sed a M. Aurelio missus est [8]. Atque ne

1) Flav. Jos. b. Jud. 7, 1, 3: *„μεμνημένος δὲ τοῦ δωδεκάτου τάγματος, ὅτι Κεστίου στρατηγοῦντος ἐνέδωκαν τοῖς Ἰουδαίοις, τῆς μὲν Συρίας αὐτὸ παντάπασιν ἐξήλασεν.“*
2) Mommsen, Röm. Staatsr. II^{2}, p. 1099 n. 4.
3) Flav. Jos. b. J. 7, 2.
4) Flav. Jos. b. Jud. 7, 1, 3.
5) Tac. ann. 2, 43. Mommsen, Röm. Staatsr. II^{2}, p. 1099 n. 5.
6) Tac. ann. 2, 59. Suet. Tib. 52.
7) Dio Cass. 71, 3, 1.
8) Dio Cass. 71, 4, 2.

Titum patris iussu legiones dicas in Aegyptum reduxisse, duo et vicesimani tertianique [1] Alexandriae etiamtum castra habebant, quintam autem et quintam [2] decimam legionem, illam e Mysia hanc e Pannonia arcessitam secum duxit easque postea, cum Alexandria in Italiam navigaturus esset, quamque in provinciam suam remisit [3]. Unde elucet Titum sua sponte egisse, ut cum pompa victoris se ostentaret in provinciis Orientis. Hoc consilio Syriam permigrans provinciam magnifica spectacula [4] in singulis urbibus edidit, deinde Zeugma [5], ad oppidum in Euphrate situm, iter contendit, ubi legati Vologesi, regis Parthorum, Tito ob victoriam gratulati coronam auream donaverunt. Imperatorem igitur quin Titus se gesserit cum dubium esse non possit, quantam in opibus suis posuerit fiduciam, quid magis in lucem proferat, quam quod eodem die [6], quo Hierosolyma cepit, proximoque tempore [6] paravit triumphum? Quem a senatu et Vespasiano et Tito decretum esse docet Flavius Josephus [7]. Sed cum appareat senatum non, antequam nuntius victoriae Romam veniret, decrevisse triumphum, penes vero principem [8] fuisse omnino disceptationem, num triumphus a senatu decretus ageretur, Titus, quod statim ex captivis, quos ducturus esset in triumpho, elegit, aperte sibi vindicavit imperium.

Quibus de causis utique efficitur Titum acclamatione militum accepta auctoritatem dignitatemque patris violavisse.

Sed eundem IX. Kal. Nov. [9] a. 70 Caesareae diem natalem fratris [9], XV. Kal. [10] Dec. a. 70 patris [10] sollemniter

1) Tac. hist. V, 1. Flav. Jos. 5, 1, 6. Non has duas legiones Alexandria Titus abduxerat, ut Tacitus narrat (l. c.), sed duo milia ex illis electa (Fl. J. l. c.).
2) Flav. Jos. b. Jud. 7, 5, 3.
3) Flav. Jos. b. Jud. 7, 5, 3.
4) Flav. Jos. b. Jud. 7, 5, 1.
5) Flav. Jos. b. Jud. 7, 6, 2.
6) Flav. Jos. b. Jud. 6, 9, 2. 7, 2.
7) Flav. Jos. b. Jud. 7, 5, 3.
8) Dio Cass. 54, 33. cfr. Mommsen, Röm. Staatsr. II^{2}, p. 822.
7) Flav. Jos. b. Jud. 7, 3, 1. Suet. Dom. 1. J. R. N. 212.
10) Flav. Jos. b. Jud. 7, 3, 1. Suet. Vesp. 2.

Beryti celebravisse audimus. Quam speciem necessitudinis amicissimae aliis quoque in rebus prae se ferebat. Itaque dona militaria [1]) Hierosolymis captis suo et patris nomine impertivit. Omnibus enim praeter unum in titulis [2]), qui de praemiis illis extant testimonia, et Titi et Vespasiani nomina iuxta proferuntur. Haec ambigua agendi ratio quorsum spectaverit plane erit manifestum, si Titum ultimis [3]) a. 70 mensibus Romae imperatorem designatum esse meminerimus, quae designatio quin arctissime cum consalutatione a militibus Tito Hierosolymis oblata cohaereat equidem non dubito. Atque Titum ipsum fuisse salutationis auctorem certum censeo. Veritus enim ne vim amplitudinemque, qua usque ad id tempus floruisset, rebus pacatis amitteret, hunc fructum ex opibus sibi commissis capessere studuit, ut legitima quadam ratione publicoque decreto quaedam cautio sibi daretur imperii. Namque hoc callide computavit, consalutationis nuntio, praesertim cum qua ratione partes veri imperatoris in Orientis provinciis ageret, famam brevi Romam fore dilatam esset perspicuum, et patrem et senatum fore faciliores; neque enim Titum expressis verbis imperium a patre postulavisse ad eiusdem animum dolosum, quem bene depinxisse mihi videtur Double [4]) in libello de Tito scripto, aptius est. Qua in re quam recte rationem suam duxerit, cum Suetonius [5]) testis sit, qui Romae suspicionem ne Titus

1) cfr. supra p. 11.

2) Wilm. 1146 (donato) donis militaribus | (a)b imp. Caesar|e Aug. et | T. Caesare Aug. f. (b)ello Judaico corona murali vallari aurea hastis puris (v)exillis duobus. . . .

CILIII, 2917 donis don ab impe | Vespasian et Tito impe—bell Jud....

Ex hoc lapide non coniciendum est, Titum se in Judaea iam nominavisse imperatorem quia Traiani temporibus inscriptus est.

3) Circa Kal. Jan. a. 71 Titus de hac re certior factus est. Philostr. vit. Apoll. 6, 30: „*ἀναῤῥηθεὶς δὲ αὐτοκράτωρ ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ἀριστείων ἀξιωθεὶς τούτων ἄπῃει ἰὼν ἰσομοιρήσων τῆς ἀρχῆς τῷ πατρί . . . ἐγὼ δὲ ἔτη μὲν τριάκοντα ταυτὶ γέγονα ἀξιούμενος δὲ ὧν ὁ πατὴρ ἑξακοντούτης ὢν καὶ καλούμενος ἐς τὸ ἄρχειν πρὶν οὐκ οἶδ' εἰ ἀρχθῆναι εἰ δέναι* (cfr. Suet. Tit. 1).

4) Double „l'empereur Titus“ Paris 1872.

5) Suet. Tit. 5.

a patre descisceret esse natam prodidit, tum apparet ex designatione. Publice igitur auctoritati patris se subiecit. Quod vero hanc iniit rationem, rebellionis speciem prorsus refutare videri potuit. Unde facile est intellectu, quomodo fieri potuerit, ut scriptores [1]) Titi erga patrem pietatem laudarent, nisi alteram causam quaeras ex caritate, quam in suo principatu sibi conciliaverat apud omnes. Ex silentio autem, quo Flavius Josephus designationem praeteriit, nescio an novum argumentum ducere liceat ad sententiam nostram probandam, nisi scriptorem Judaicum vim designationis plane ignorasse conicias. Sed et Suetonius, ut supra vidimus, verum quodammodo adumbravit, et Plinius [2]) in oratione, qua Kal. Sept. [2]) a. 100 in senatu Traiano ob magna in rempublicam merita gratias egit maximas, principis oboedientiam pietatemque erga Nervam summis efferens laudibus haec fecit verba [3]): „Credentne posteri patricio et consulari et triumphali patre genitum cum fortissimum amplissimum amantissimum sui exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu factum . . . . . nihil ipsum ut imperator fieret agitasse, nihil fecisse nisi quod meruit et paruit . . . . ?“

Quo loco cum Plinius imperatoris nomine Traianum non principem, sed collegam imperii significet, haud scio cuius meminerit nisi Titi, quem paullo antea cum Traiano [4]) comparaverat. Denique Suetonius [5]) narrat Domitianum sub finem a 70 expeditionem in Galliam Germaniamque fecisse „tantum ut fratri se et operibus et dignatione adaequaret.“ Quibus verbis cum quodammodo exprimat Suetonius Titum quaecunque valuerit, armorum vi adeptum esse, Domitianum autem exemplum fratris sequi voluisse, huic exemplo supplementum repetas e Tacito [6]), qui occultis ad Cerialem nuntiis fidem

1) Sic. Philostr. l. c., Suetonius.

2) Th. Mommsen, „Etude sur la vie de Pline le jeune“ traduit par C. Morel in biblioth. de l'école des hautes études XV. Paris 1873, p. 66.

3) Plin. Panegyr. 9, p. 326 ed. Keil.

4) Plin. Pan. 8.

5) Suet. Dom. 2.

6) Tac. hist. 4, 86.

eius temptavisse Domitianum, an praesenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret memoriae prodidit.

Sed aliis ut argumentis utamur ad sententiam nostram probandam: Designatio quid sibi voluerit, quod in tempus spectaverit inquiramus.

Nomen imperatoris principes cum principatu recepisse nemo est qui nesciat [1]). Quo nomine significatum est summum imperium, quod potissimum continebatur imperio proconsulari [2]). Idem nomen praeter principes collegis tantum imperii qui dicuntur — Blaesum excipias — inditum est [3]). Sed quae vis infuerit in imperatoris nomine imperii consortibus concesso si quaeramus, ea fuit prorsus aliena a potestate principum nominis imperatorii.

Neque enim imperium proconsulare significavit locum obtinens nominis proprii, sed acclamationis tantum vim inclusit.

Cui sententiae congruit, quod plurimi ex eis, qui imperio proconsulari accepto collegae imperii facti sunt, usque ad M. Aurelii tempora, quibus „imperium duos Augustos habere coepit", nomine imperatoris plane caruerunt:

Atque Augusto imperante
Agrippa [4]), sub Tiberii principatu
Drusus [5]), Tiberii filius, qui imperio proconsulari aucti sunt.
Nero Claudius Drusus [6]), cui imperium proconsulare a 51 concessit Claudius.

1) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 816 ibique n. 4.

2) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 746. 816.

3) cf. supra p. 1 sqq.

4) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1094 n. 4. p. 1098 n. 2.

5) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1095 n. 2. In nummis et titulis nomine imperatoris caret. Cohen I, p. 217. 219. CILVI, 910. Druso Caesari T. Aug. f. divi Augusti n | divi Juli pronepoti | pontifici auguri | sodal. Augustal. cos. iterum tribunic. potest. iter.

6) Apparet in nummis post a. 51 Claudio vivo signatis (Coh. Néron. 82. 96—99) Nero Claudius Caes. Drusus Germ. cos. des. princ. iuvent. (Tac. ann. 12, 41 simul imperium proc. accepit simulque consul designatus est). cfr. Cohen, Néron 311. 312. CILVI, 921. 1984.

L. Aelius Verus [1]), quem post comitia consularia a. 136 collegam imperii sibi adiunxit Hadrianus.
M. Aurelius [2]), qui a. 146 ab Antonino Pio consors imperii factus est.

Deinde ut ad illos imperii collegas progrediar, qui obtinuerunt nomen imperatorium, vim acclamationis tantum huic nomini fuisse subiectam Augusto et Tiberio imperitantibus monuit Mommsenius [3]).

Cum hac viri doctissimi sententia convenit, quod nomen imperatoris temporibus illis plerumque aliquanto post imperium proconsulare tributum est, deinde quod natum est victoria, ex qua princeps ipse, si omnino acclamationes recipiebat, novam acclamationem assumpsit. Quod ut exemplis illustrem:

Drusus Claudius Nero [4]) a. 743, quamvis nomen imperatorium recipere ab Augusto vetaretur, imperio proconsulari donatus est. Eundem cum in nummis [4]) ac titulis nomine utatur imperatorio, hoc paullo post accepisse perspicuum est. Cuius frater Tiberius Claudius Nero [5]) a. 744 legatus [5]) Dalmatas Pannoniosque rebellantes domuit. Quem ab Augusto Drusi loco imperatoria dignitate ornatum esse Dio Cassius [6]) testis est. Hoc Dionis testimonio explanatur quod prodidit Valerius Maximus [7]): „Eo ipso tamen, quo vita et mors dis-

1) Vit. Hel. Ver. 3. „quia erat deputatus imperio, iterum consul designatus est". (cos. I fuit a. 136. cos. II a. 137. Klein fast. coss.). Profertur in nummis L. Aelius Caesar tr. p. cos. II (a. 137). Cohen II, p. 267 sqq.

2) Vit. Ant. Phil. 6. Stobbe, Philol. 32. p. 41. In nummis patre vivo signatis exhibetur Aurelius Caesar Aug. Pii f. (Cohen II, p. 480 sqq.).

3) Mommsen, Röm. Staatsr. II². p. 1096.

4) Dio Cass. 54, 33. Tac. ann. I, 3: „Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit." Idem apparet in nummis: Nero Claudius Drusus Germanicus imp. (Cohen 1. p. 220). CILV, 3109 = Henzen 5775: Ti. Claudius Ti. f. Nero pont. cos. (I) I trib. po(t V) (imp) Nero Claudius Ti. f. Drusus Germ. augur c(os i)m(p).

5) Monum. Ancyr. P. V, 45 cap. 30.

6) Dio Cass. 55, 6: „τὸν δ' ουν Τιβέριον ἀντὶ τοῦ Δρούσου εἰς τὴν τοῦ αὐτοκράτορος ἀρχὴν προαγαγών."

7) Val. Max. 5, 5, 3.

tinguitur, momento legiones cum insignibus suis fratri obviam procedere iussit (Drusus a. 745 in Germania), ut imperator salutaretur. Praecepit etiam dextra in parte praetorium ei statui et proconsulare [1]) et imperatorium nomen obtinere voluit.“ Qua militum consalutatione cum Tiberius neque proconsulare nomen neque imperatorium accipere posset [2]), Augustum ea quae Drusus moribundus fratri optaverat, Tiberio dedisse e Dione Cassio [3]) et Tacito [4]) effici potest. Ideo haud perperam iudices Tiberium et imp. proc. et nomen imperatoris paullo post mortem fratris eosque honores simul assumpsisse, id quod comprobat titulus [5]) a. 747 inscriptus, qui Tiberium exhibet imp. iterum. Namque a. 746 [6]) una cum Augusto acclamationem accepit, anno autem 747 [7]) neque Augustus ipse recepit nomen imperatoris neque tribuit Tiberio, unde efficitur, Tiberium a. 745 imperatoris nomine fuisse auctum.

Gaius Caesar [8]) a. 753 cum imperio proconsulari in Orientem profectus tribus annis post imperatorio nomine [9]) auctus est. In nummis [10]) is quidem caret hoc nomine, id quod haud mirum est, quod antequam imperator existeret signati sunt [10]). Tituli [11]) vero post mortem Gaii inscripti exhibent eum nomine imperatorio ornatum.

---

1) Ita esse scribendum inde apparet, quod Tiberius iam a. 741 consulatu functus est (Klein fast. coss).

2) cfr. supra p. 1 sqq.

3) cfr. supra p. 17 n. 6.

4) Tac. ann. 1, 3.

5) Orelli 599: Ti. Claudius Ti. f. Nero pontifex cos iterum imp. iterum | ludos votivos pro reditu imp. Caesaris divi f. | Augusti pontificis maximi fecit ex s. c. cfr. Dio Cass. 55, 8, 3.

6) Dio Cass. 55, 6.

7) Dio Cass. 55, 9, 1: „*ἐν γὰρ δὴ τῇ Γερμανίᾳ οὐδὲν ἄξιον μνήμης συνέβη*“ (ibi ducebat Tiberius). cfr indicem acclamationum Augusti infra p. 3.

8) Zonaras 10, 36. Vell. II, 101. Tac. ann. 2, 4.

9) Dio Cass. 55, 10a.

10) Cohen I, p. 182 sqq. Paullo enim postquam imperator appellatus est, diem supremum obiit. Wilm. 883 „C. Caesar obiit VIII. K. Mart.“ (a. 4 p. C. n.).

11) CILII, 3267. V, 6416. Wilm. 880a.

Quomodo autem nomina imperatoria Drusi, Tiberii, Gai respondeant Augusti acclamationibus illustretur hoc indice:

Augustus

imp. X a. 741 VI. Kal. Jul. [1]) usque 742 VI. Kal. Jul.
imp. X tribunicia potestate XI CILV 8086. 8088. 8094. 8100. 8101. Orelli 5701. 5702.

Tiberio a. 742. Druso a. 743 imperatoria nomina ab Augusto denegata sunt (Dio Cass. 54, 33).	*imp. XI* a. 742 VI. K. Jul. — 743 VI. K. Jul. Coh. Aug. 147—150 Dio Cass. 54, 31. 33. *imp. XII* a. 743 VI. K. Jul. — 745 VI. K. Jul. *imp. XII* trib. pot. XIII. CILIII, 3117. imp. XII cos XI trib. pot. XIV CILVI. 700. 702. Cohen 151—173 Dio Cass. 54, 33.
Intra annos 744 et 745 Augustus unam recepit acclamationem. Drusus a. 744, (supra p. 17.) Tiberius a. 745 imperatoriis nominibus aucti sunt (supr. p. 18.).	*imp. XIII* a. 745 VI. K. Jul. (ante K. Jan. a. 746). — a. 746 VI. K. Jul. tribunic. potestate XV imp. XIII. CILV, 7231. imp. XIII cos. XI trib. potest. XV Nerone Claudio Druso T. Quinctio Crispino Volcano cos. (Klein fast. coss. ad a. 745.) IRN, 6775. imp. XIII .... estate XVI CILII, 4910—22. cos. XI imp. XIII tribunicia potestate XVI Wilm. 829.

---

1) Stobbe, Philol. 32, p. 22.

Bello Germanico Augustus a. 746 unam acclamationem sibi assumpsit, Tiberio nomen imperatorium tribuit (Dio Cass. 55, 6. cf. supra pag. 18.).	*imp. XIV* a. 746 VI. K. Jul. — a. 751 VI. K. Jul. cos. XI tribunicia potestate XVI imp. XIIII CILII 4931. 4936. 4937. imp. XIIII tribunic. potestate XVII CILV 7817. cos. XII cos. design. XIII imp. XIIII trib. potest. XX Wilm. 830. Dio Cass. 55, 6. (a. 746.)
a. 756 et Augustus et Gaius bello Armeniaco nomen imperatoris receperunt (Dio Cass. 55, 10 a.).	*imp. XV* a. 751 VI. K. Jul. — a. 756? Cohen 177. imp. XVI a. 756? — a. 763 VI. k. Jul. imp. XVI cos. XIII tr. p. XXXII IRN 2446. cos. VIII tribunic. potest. XXXII imp. XIV Or. 602.

Acclamationes ab Augusto et Tiberio posterioribus annis receptas perscrutari haud necesse putavi, cum dubium non sit, quin nomen imperatorium denuo datum non significet nisi acclamationem. Itaque monuisse satis mihi videtur, Augustum usque ad XIV. K. Sept. [1]) a. 14, quem diem supremum obiit, semel et vicies [2]) imperatorem appellatum esse, Tiberium septies [3]), unde apparet Augustum privigno acclamationem, nisi ipse novam reciperet, non concessisse.

Atque ex conspectu acclamationum apparet, Augustum annis 744, 45, 46 quamvis Drusum a. 744, anno sequenti Tiberium nominibus imperatoriis augeret, unam acclamationem sibi assumpsisse. Cuius rei causam inde quaerendam esse censeo, quod nomen imperatoris Tiberio post mortem fratris quasi heredium Augusto concedente obvenit. Nihilo vero secius ex acclamatione omissa efficitur non sic constitisse rationem, ut princeps numerum acclamationum augeret prop-

---

1) Sueton August. 100.

2) Mon. Anc. C. I. Tac. ann. 1, 9. Dio Cass. 52, 41.

3) Cohen, Tibère 35—38. Dio Cass. 55, 28, 6. 56, 17, 1.

terea, quod alii nomen imperatorium tribueret; immo nova consalutatio, quam princeps sibi assumebat tribuens alii nomen imperatoris, ex ea victoria nata est, qua illius nomen. Qua de ratione, quam posteris quoque temporibus valuisse demonstrabimus, idcirco referendum esse putabamus, quod alicuius eam momenti fore videbimus ad tempus, quo Titus imperator factus est, angustius definiendum.

Sed ut ad Tiberii principatum accedam:

Germanicus, Drusi filius, a. 14 imperio proconsulari [1]) instructus nomen imperatoris [2]) a. 15 accepit. Neque vero Tiberius [3]) propter res a Germanico in Germania gestas novam appellationem assumpsit, id quod mirum non est, cum toto principatu suo semel [4]) tantum passus sit se imperatorem salutari. Qua de causa non magis offendit, quod a. 22, quo Blaeso [5]), proconsuli Africae, a Tiberio concessum est, ut imperator a legionibus salutaretur, ipse acclamationem [6]) non recepit.

Sub Augusti igitur Tiberiique principatu imperatorium nomen ad imperium proconsulare non accedebat, nisi partum fuerat victoria, significabat autem nonnisi acclamationem. Quod illustratur Taciti narratione, Tiberium Germanico scripsisse,

---

1) Tac. ann. 1, 14, 39.

2) Tac. ann. 1, 58. in titulis multis apparet Germanicus Caesar Ti. Aug. f. divi Augusti n. augur flamen Augustalis cos iterum imp. iterum (CILII, 1517, 2039, 2198. CILVI, 909, 921). Idem quando primum nomine imperatorio ornatus sit, non constat. Atque Mommsenius opinatur (Eph. epigr. I, p. 33). Augusto imperante eum hoc nomen accepisse ante a. 14 (cfr. Dio Cass. 56, 25).

3) Apparet usque ad annum 21 p. Ch. imp. VII (Coh. Tib. 45. 8. 9. 18. 19. 20. CILII, 4905, quoties iam sub Octaviano imperator consalutatus erat (Coh. Tib. 35—38).

4) Imp. VIII primum apparet a. 21 ante VI. K. Jul. Wilm. 885 = Or. 660. cos. IV imp. VIII trib. pot. XXII in nummis a. 22 ante VI. K. Jul. (Coh. Tib. 24 (4. 5). Quam acclamationem e seditione Galliarum sedata recepisse videtur (Tac. ann. 3, 40 sqq. 47). Blaesus enim „aestate peracta" a. 22 imperator a legionibus salutatus est (Tac. a. 3, 72 et 74).

5) Tac. ann. 3, 74.

6) Post a. 21 non iam recepit acclamationem Coh. Tib. 12—14. 21—23. 25. 26. 44. CLLII, 2062. 2181. 4749. 4777. 4778. 4869. 4904. IRN, 2486. 2394. Wilm. 775. 887 etc.

„relinqueret materiem Drusi filii gloriae, qui nullo tam alio hoste nonnisi apud Germanias adsequi nomen imperatorium et deportare lauream posset“ [1]). Postremo ratio convenit, qua componebatur cum ceteris nominibus. Neque enim apparet in cognominum serie [2]), sed in ordine magistratuum, quo loco proferuntur principum quoque acclamationes.

Post Tiberii principatum usque ad tempora Commodi, qui postremus priusquam Augusti nomen reciperet, imperio proconsulari donatus est, praeter principes nomen imperatoris receperunt Traianus, Antoninus, Commodus.

Ex his de Traiano scriptores tantum testes sunt monumentis certis nos deficientibus [3]). Atque Plinius in Panegyrico [4]) Traianum a Nerva imperatorem factum esse cum dicat, hoc nomine quin imperium proconsulare [5]) significaverit dubium non est. Ex quo Traianum principum more colligas cum imperio proconsulari nomen imperatorium recepisse, ita ut imperium eius significaret, id quod comprobat Dio Cassius [6]), apud quem Traianum „αὐτοκράτορα“ extitisse legamus.

Deinde ex verbis Plinii hisce: „iam imperator [7]) . . . . et post tanta nomina“ vel „atque [8]) imperator tu titulis et imaginibus“ sine dubio efficitur Traianum nomine imperatorio fuisse decoratum.

Sed Nerva [9]) auctoritate sua infracta Traiano imperium

---

1) Tac. ann. 2, 26.

2) Sequitur sacerdotia, consulatum, praecedit tribuniciam potestatem. cfr. Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 759 et 760.

3) De la Berge „essays sur le règne de Traiane“ in bibliothèque de l'école des hautes études 42. Paris 1877, p. 19.

4) Pan. 8: „mox imperator et consors tribuniciae potestatis.“ . . .

5) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1094 n. 3.

6) Dio Cass. 68, 3.

7) Plin. Pan. 9.

8) Pan. 10.

9) Pan. 6: „imperator et parens generis humani obsessus, captus, inclusus . . . ruensque imperium super imperatorem imperatoris tibi voce delatum est“ . . . . . „ille tibi imperium dedit, tu illi rededidisti.“ Dio Cass. 68, 3: „ὅθεν ὁ Νερούας διὰ τὸ γῆρας καταφρονούμενος ἀνέβη . . .“ (cfr. Pan. 10).

quodammodo tradidit summum, ita ut maiore potestate quam priores imperii collegae fuisse censendus sit.

Quod Traiani nomen imperatorium tamen cohaeret cum altera Nervae acclamatione. Namque „allata [1]) erat laurea ex Pannonia id agentibus diis ut invicti imperatoris exordium victoriae insigne decoraret.“ Cuius victoriae splendor, etiamsi Schwarzii [2]) sententia Traianum lauream misisse refutanda [3]) videatur, in Traianum, legatum Germaniae, replicatus est. Simul enim Germanici nomen Nerva Traiano [4]) tribuit, ipse autem eodem tempore [5]) nomen Germanici novamque acclamationem sibi assumpsit.

Arrius Antoninus [6]), qui VI. K. Mart. a. 138 imperio proconsulari ab Hadriano donatus est, hoc principe vivo ante VII. id. Jul. [7]) a. 138 in nummis [8]) et titulis apparet:

Imp T. Aelius Caesar Antoninus tr. p. cos. (des II).

Praenomine igitur imperatoris usus est, quo quin imperium eius significatum sit, dubitari non potest. Huc accedit, quod neque Hadrianus [9]) a. 138 novam acclamationem assumpsit,

---

1) Plin. Pan. 8.

2) Plin. Pan. ed. Schwarz p. 15.

3) Dierauer in Büdingeri Untersuchungen zur Römischen Kaisergeschichte p. 25 n. 1.

4) Plin. P. 9.

5) Traianus adoptatus est sub finem mensis Octobris a. 97 (Tillemont hist. des emp. note III sur Nerva vol. II p. 487. Noris ann. et epoch. Syromac. p. 559). Atque Nerva. quem post XVI. K. Octobr. a. 97 multi nummi proferunt Imp. Nerva Caes. Aug. p. m. tr. p. II cos. III (dies imperii Nervae fuit XVI K. Oct. Stobbe, Philol. 32 p. 31). Cohen, Nerv. 8. 13. 17. 18. 23. 29. 30. 34. 49. 54. 55. 56. 60. 69. 74 80. 94. 95. 96. 110—112. 114. 123., apparet Germanicus imp. II in omnibus nummis, qui eum exhibent tr. p. II cos. III design. IV (Coh. Nerv. 38—45); porro cum neque cos. III des. IV neque Germanicus imp. II in aliis nummis proferatur, hoc efficitur Nervam paullo post XVI. K. Octobr. a. 97 et consulem IV designatum esse et nomen Germanici imperatorisque recepisse.

6) Vit. Ant. Pii 4.

7) Hadrianus hoc die mortuus est (vit. Hadr. 25).

8) Cohen 2 p. 279 sqq. Ant. Pius 41. 42. 213—15. 255—62. 508—10. 711—16. 719. 737. 856. 857 (42. 724. 859).

9) Imp. II, qui in titulis multis post mortem inscriptis apparet, fuit iam a. 136 (CIL VI, 976).

neque Antoninus in nummis sub principatu Hadriani signatis capite laureato[1]) apparet, unde nomen eius imperatorium non victoria natam esse efficitur. Sed sane mirum est quod Antoninus, quem loco Aelii Veri[2]) Hadrianus adoptavit, nomen imperatorium obtinet, quo vacat Aelius[3]), nisi ad maiorem refers potestatem. Atque Hadrianus tempore adoptionis adeo iam morbo[4]) afflictatus erat, ut vitae taedio mortem petens testamentum conscriberet. Qua de causa maiorem administrationis partem quin Antonino tradiderit dubium non est, veluti hic quidem non solum congiarium[5]) militibus ac populo de proprio dedit, sed etiam de provinciarum tributis[5]) decrevit; deinde cum Hadrianus Baias peteret, qua in urbe VI. id. Jul. a. 138 vita decessit, Antoninus Romae „ad imperandum“[6]) relictus est.

Etiam Commodus[7]), qui V. K. Dec. a. 176 in senatu[7]) cum patre imperator appellatus est, hoc die cum imperio proconsulari praenomen imperatoris accepit. Namque iam a. 176 in uno[8]) nummo apparet:

Imp. Caes. L. Aurel. Commodus Germ. Sarm.

multisque in aliis[9]) nummis a. 177 signatis,

Imp. Caes. L. Aurel. Commodus Germ. Sarm. tr. p. cos.

Qui quod a. 177 Augusti[10]) nomine auctus est, maiorem potestatem a. 176 accepisse censendus est, quam collegae imperii temporum praeteritorum. Quo referas quod iam a. 176 more principum capite laureato in nummo supra allato apparet, deinde ex verbis Lampridii „cum patre imperator

---

1) cfr. nummi, quos supra p. 23 n. 8 attuli.

2) Vit. Ant. Pii 4.

3) cfr. supra p. 29.

4) Vit. Hadr. 23. Dio Cass. 69, 22.

5) Vit. Ant. Pii 4 ib.: „et aurum coronarium, quod adoptionis suae causa oblatum fuerat Italicis totum, medium provincialibus reddidit.“

6) Vit. Hadr. 25.

7) Vit. Commodi 2 et 12. Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1101.

8) Cohen, Commode 547.

9) Cohen, Com. 238. 239. 427. 759. 760. 761. 241. 242. 486—92. 494. 595. 762.

10) cfr. nummi.

appellatus est“ et ex triumpho[1]), quem egit cum patre X. K. Jan. a. 177, elucet, nomen imperatorium Commodi cohaerere cum acclamatione nova M. Aurelii. Atque M. Aurelius triumphavit[2]) de Sarmatis, Vandalis, Quadis, quibus devictis, priusquam in Syriam ad opprimendum Cassium proficisceretur, imp. VIII[3]) a. 175 factus est. Unde apparet verba Lampridii ad morem[4]) spectare, quo principes nomina a militibus data Romam reversi a senatu recipiebant, quamvis eadem iam pridem in nummis imprimerent. Neque enim M. Aurelius a. 176 numerum acclamationum auxit.

Haec igitur quaestionis nostrae summa inventa est, imperio proconsulari collegas imperii sive cognomen sive praenomen imperatorium non recepisse, nisi maior quaedam potestas accederet. Huc pertinet, quod qui praenomen sive cognomen imperatoris obtinebant, ei tantum imperii collegae omnes acclamationes, etiamsi ipsi bellis non interfuissent, recipiebant cum principibus, veluti Titus ipse[6]), Commodus. Neque enim eos, qui illo nomine vacabant, acclamationem cum principe assumpsisse, nisi ipsi meruerant, certissimo est argumento Drusus Tiberii filius, qui a. 21[7]) nomen imperatorium non accepit, quamvis eodem anno Tiberius fieret imp. VIII[7]).

Atque ut omittam Commodum, quia brevi hic Augustus factus est, unius Antonini potestati maiori causa subfuit gravissima, quod Hadrianus a negotiis publicis[8]) prorsus recesserat.

---

1) Vit. Com. 2 et 12 vit. Ant. Phil. 17.

2) Vit. Ant. Phil. 17.

3) A. 175 imp. VII apparet (Cohen M. Aur. 120. 122. 125. 127. 141. 366—68. 410. 426. 533. 539. 540. 543--48. 576—78 et imp. VIII (Cohen l. c. 130. 131. 141. 142. 200. 201. 306—13).

4) cfr. vit. Veri 7 et infr. p. 36.

5) Imp. VIII apparet a. 176 (Cohen l. c. 68. 71. 81- 147. 314—22. 370. 371. 461. 569. 550. 777—80) et a. 177 (Cohen l. c. 66. 69. 70. 71. 145. 148. 154. 202. 323—31. 369. 372. 455—60. 461 —64. 472—75. 551. 575. 579—82. 594.

6) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1097 n. 4.

7) cfr. supra p. 16. 21. cfr. Mommsen l. c. II², p. 1098 n. 3.

8) cfr. supra p. 24.

Quibus de causis Vespasianum designatione plus concessisse elucet filio, quam ceteri collegae imperii praeter unum vel duos usque ad tempora, quibus imperium duos Augustos habere coepit, omnino acceperunt. Cuius rei si causam quaeras, opes fuerunt Titi.

Priusquam accedamus nunc ad quaestionem, quod in tempus designatio spectaverit, mihi dicendum est de inscriptione, quae nummis Vespasiani supra allatis repugnare videatur. Jn fastis [1]) enim sodalium Claudialium sub anno 71 profertur:

T. Caesar Aug. f. imperator imp. Caesare Vespasiano Aug. III, M. Cocceio Nerva cos.

Atque Nerva fasces gessit usque ad Kal. Mart. [2]) a. 71, Vespasianus potissimum ad K. Apriles. Unde Titum ante K. Mart. a. 71 imperatorem fuisse cave concludas. Neque enim nisi ordinarii consules hisce in fastis inveniuntur, ita ut si qui consules suffecti tempore cooptationis erant in officio, tamen ordinariorum nominibus annus denotatus esse sit iudicandus.

Sed ut id, quod nobis proposuimus, explanare incipiamus, Titus tribuniciam potestatem a. Kal. Jul. [3]) a. 71 computavit. Atque sub Augusti principatu tribunicia potestas Agrippae [4]) et Tiberio [5]) eo die tributa est, quo Augusti annua est facta, quam rationem Tiberium [6]) in cooptando Druso [6]) filio secutum esse verisimile est. Quapropter, etiamsi temporibus posteris tribunicia potestas non est semper impertita die [7]) imperii principis, Titum Kalendis Juliis, quem diem imperii a patre celebratum esse satis notum est, hac potestate auctum esse probabile videtur. Propterea designatione imperatoria et imperium proconsulare et tribuniciam potestatem ita fuisse inclusa conicias, ut utramque potestatem Titus acciperet Kal. Jul. a. 71, praesertim cum usus doceat, communiter designationem certo temporis spatio esse terminatam. Sed quamvis forsitan tibi placeat haec sententia, causis gravibus refutatur.

1) CILVI, 1984.

2) Chambalu, diss. „de magistratibus Flaviorum". Bonn 1881, pag. 11.

3) Stobbe, Philol. 32 p. 30.

4) Dio Cassius testis est Augustum sibi imperium a. 736 in quinquennium prorogasse, simul Agrippae trib. pot. idem in tempus dedisse (D. C. 54, 12. 54, 28).

5) cfr. Stobbe Philol. 32 p. 22.

6) Drusus a. 22 trib. pot. donatus a. 23 obiit tr. p. II (Cohen I. p. 217. 219. CILVI, 910. Tac. ann. III, 56, 59. IV, 8, 10.

7) Stobbe Philol. 32 p. 30 sqq.

Atque primum quidem nomine imperatorio tribuniciam potestatem non esse comprehensam, cum per sese appareat, tum maxime, ut omittam imperii collegas, eo confirmatur, quod ei Augusti, qui, quamquam imperatores, illam potestatem non acceperant a senatu, plane in nummis omiserunt, veluti Clodius Albinus [1]), et, quem senatu probante [2]) tenuisse imperium constat, Pescennius Niger [2]); neque mihi videor falso esse dicturus Vespasianum in nummis, quos a. 69 Antiochiae [3]) cudendos curavit, non impressisse tribuniciam potestatem.

Deinde quamvis magistratus in certum diem designatos esse quin tibi assentiar facere non possim, de imperatore designato aliter iudicandum esse censeo, cum imperium proconsulare prorsus distet a ratione magistratuum. Namque et Claudius [4]) concessit, ut vicesimo aetatis anno consulatum Nero iniret atque interim designatus proconsulare imperium extra urbem haberet, neque quo die quis hanc potestatem iniret unquam constitit. Cuius rei investigatio cum quaestione coniungenda est, quibus temporum spatiis imperium proconsulare et tribunicia potestas a principibus tradita sint aliis.

1) Apparet in nummis a. 196 et 197 signatis Imp. Caes. D. Clod. Sep. Alb. Aug. cos. III (Cohen 3 p. 222 sqq.).

2) Vit. Pesc. Nigr. 2: „Huic ob detestationem Juliani primis imperii diebus ita fautum est a senatoribus dumtaxat, qui et Severum oderant, ut inter lapidationes exsecrationesque omnium illi feliciter optarent, illum principem insuper et illum Augustum populus acclamaret". cfr. Dio Cass. 73, 15. Herod. 3, 7, 8. Idem apparet in nummis: Imp. C. Pesc. Niger Aug. cos. III (Cohen 3 p. 233 sqq.).

3) Tac. hist. II, 82.

4) Tac. ann. 12, 41.

Haec spatia sub Augusti principatu varia fuisse principis arbitrio demonstravit Mommsenius [1]), neque minus imperitante Tiberio. Exemplo autem Germanici [2]) illustratur, die fixo imperium proconsulare non esse datum.

Atque ut ad tempora posteriora accedam, Traianum imperium proconsulare et tribuniciam eodem die accepisse, Mommsenius [3]) censuit e Plinii [4]) verbis hisce: „simul filius, simul Caesar mox imperator et consors tribuniciae potestatis et omnia pariter ac statim factus es quae proxime parens verus tantum in alterum filium contulit."

Quo de loco Plinii diligentius quaerendum esse puto, praesertim cum idem vir doctissimus [3]) ex eo coniecerit, Titum imperium proconsulare et tribuniciam potestatem uno eodemque die recepisse.

Praeter Plinium Dio Cassius [5]) de adoptione Traiani nos edocet. Cuius verba haec sunt: *„ὅθεν ὁ Νερούας διὰ τὸ γῆρας καταφρονούμενος ἀνέβη ἐς τὸ Καπιτώλιον καὶ ἔφη γεγωνήσας „ἀγαθῇ τύχῃ τῆς τε βουλῆς καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ Μάρκον Οὔλπιον Τραϊανὸν ποιοῦμαι." καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῷ συνεδρίῳ Καίσαρά τε αὐτὸν ἀπέδειξε καὶ ἐπέστειλεν αὐτῷ αὐτοχειρίᾳ, ἦρχε δὲ τῆς Γερμανίας ἐκεῖνος, „τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν". οὕτω μὲν ὁ Τραϊανὸς Καῖσαρ καὶ μετὰ τοῦτο αὐτοκράτωρ ἐγένετο καίτοι συγγενῶν τοῦ Νερούα ὄντων τινῶν."* Plinius igitur et Dio Cassius ita discedunt, ut ille Traianum simul filium simul Caesarem pronuntiet factum esse, hic dicat, Traianum primum in Capitolio coram populo adoptatum esse, deinde in senatu appellatum Caesarem. Qua de discrepantia Mommsenius [6]) hoc iudicavit Taianum sola adop-

1) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1095 et 1102.

2) Augustus obiit XIV. K. Sept. a. 14, qui cum Tiberio trib. pot. computabat a VI. K. Jul. Atque Tiberius paullo post mortem Augusti Germanico imperium proconsulare a patribus petivit (Tac. ann. 1, 14 et 39), quod eodem anno legati in Germaniam detulerunt.

3) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1095 n. 4.

4) Plin. Pan. 8.

5) Dio Cass. 68, 3, 4.

6) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 747 n. 4.

tatione in Caesaris cognomentum adscitum esse. Dionem autem adoptionem in Capitolio factam a nuncupatione, quae in curia facta est, seiunxisse apparet, veluti Galba [1]) quoque Pisonem primum in comitiis, quae nominat Tacitus „imperii", adoptavit, deinde consultavit cum adhibitis, „pro rostris an in senatu an in castris adoptio nuncuparetur."

Sed Plinius et Dio Cassius inter se convenientes ille dicit Traianum „mox" imperatorem . . . . factum esse, hic *„μετὰ τουτο"*.

Neque scio, quid „mox" significet, nisi „brevi temporis spatio post". Quae significatio et cum consuetudine [2]) Plinii congruit et recta totius loci interpretatione hic quoque servari potest. Atque Plinium hoc loco Traianum cum Tito comparavisse apparet. Quapropter „omnia" ad verba „filius" et „Caesar" referri non potest. Neque vero magis hac voce complecti Plinius censendus est „imperator" et „consors tribuniciae potestatis", sed ceteras potestates, quas Titus et Traianus acceperunt. Quae quales fuerint nondum satis constat, sed opinari licet, lege quae dicitur de imperio Vespasiani multa contineri iura, quae pater cum Tito communicaverit. Quam secundum interpretationem „quae" non respondet nisi voci „omnia", vocabulum autem „tantum" non spectat ad verba „in alterum filium", sed ad totam sententiam pertinet.

Plinius enim Traianum et Titum maiore potestate fuisse laudat, quam Agrippam, Tiberium sub principatu Augusti, Drusum (Seianum) imperante Tiberio hisque opposuit.

Inconstantiam igitur, quam Dierauer [3]) vidit in Plinii verbis prorsus ab oratore abesse apparet, neque tali quaesita interpretatione vocabulorum „pariter" et „statim" opus est, qua usus est Stobbeus [4]), cum minime repugnent verbo „mox".

1) Tac. hist. 1, 14—17. cfr. 1, 16: „et audita adoptione", 17 „sermo (Pisonis) erga patrem imperatoremque".

2) cfr. Plin. Pan. 8, 6. 11, 1. 15, 1. 17, 2. 19, 6.

3) Dierauer, in Büdingeri „Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte" p. 26 n. 2.

4) Stobbe, Philolog. 32, p. 34 n. 12.

Atque verba Plinii sic sunt interpungenda:

Simul filius simul Caesar; mox imperator et consors tribuniciae potestatis et omnia pariter ac statim factus es, ... i. e. simulatque imperator et consors tr. p. factus es, omnia pariter [1]) ac statim factus es, ...

Hac interpretatione cum adaequationem comparationis non abesse appareat, tum Plinius, etiamsi spatiis diversis Traianus et Titus imperium proconsulare acceperunt, quominus hanc diversitatem accuratius definiret, quod Titus etiam censurum atque praefecturam susceperat, impeditus est.

Itaque ut Traianus proconsulare imperium et tribuniciam potestatem uno eodemque die acceperit, quae quaestio integra censenda est, Titum simul imperatorem, simul consortem tribuniciae potestatis factum esse concludendum non est; neque magis, quod multo posterioribus temporibus Hadrianus [2]) Antoninum V. K. Mart. a. 136 [3]) simul adoptavit, simulque imperio proconsulari et tribunicia potestate donavit, hanc fuisse firmam rationem efficitur, praesertim cum aegritudine gravescente Hadrianus commotus sit, ut quam celerrime socium imperii sibi eligeret. Namque etiamsi Antoninus Pius [4]) Marcum filium secundum patris exemplum imperio proconsulari et tribunicia potestate simul auxisse videtur, Commodus V. K. Dec. [5]) a. 176 imperator, post. X. K. [5]) Jan. a. 177 consors [6]) tribuniciae potestatis factus est.

Postremo ut exemplum unum, quod simile Titi extat,

---

1) „pariter" idem valere quod „simul" iam monuit Schwarzius (edit. Plin. p. 18). Ne Piso quidem eo die, quo adoptatus est, imperium proconsulare et tr. p. accepit.

2) Aelium Verum constat a. 135 adoptatum esse, imperio proconsulari post comitia consularia a. 136 donatum, tribuniciam potestatem circa Kal. Jan. a. 137 accepisse (Vit. Ael. Ver. 3) adoptatus . . . „mox consul creatus et quia erat deputatus imperio iterum consul designatus est."

3) Vit. Ant. Pii 4.

4) Vit. M. Ant. Phil. 6.

5) Vit. Comm. 2 et 12.

6) Vit. M. Ant. Phil. 27: „Romam ut venit triumphavit (X. K. Jan. vit. Com. 12) exinde Lavinium profectus est. Commodum deinde sibi collegam in tribunicia potestate iunxit."

afferam, Caracalla in nummis a. 197 [1]) signatis apparet M. Aurel. Anton. Caes. pontif. des. imp. Quae designatio Caracallae non spectavit ad diem imperii Septimii Severi. Namque sagaci Stobbei [2]) pervestigatione probabile factum est, Caracallam mense Januario a. 198 a patre in tribuniciam potestatem cooptatum esse, Severum autem usque ad hoc tempus suam ipsius tribuniciam potestatem computavisse a IV. non Jun. Unde verisimile censeo, Severum filium iam a. 196 apud Viminatium Caesarem appellatum in Gallia imperatorem designavisse, ut Getam fratrem spe imperii privaret [3]); namque quominus imperatorem faceret, puerili filii aetate [4]) tunc quidem prohibitus esse videtur, quem honorem tamen filio detulit, priusquam ad Parthos [5]) contenderet.

Sed ut ad Titum redeamus, in primo fratris [6]) consulatu, qui a K. Mart. usque ad pridie K. Jul. a. 71 fasces gessit, triumphum [6]) curulem egit.

Mommsenius [7]) eruit post a. 740 eos tantum triumphum vel ovationem egisse, qui aut natu aut adoptione proximi essent Augustis eosque imperio proconsulari collegas factos imperii. Sed accedamus ad Dionem Cassium [8]). Qui scriptor Agrippam enarrat a. 740 triumphum sibi decretum respuisse. Tum pergit [8]) hoc modo: „*ἀφ' οὗ δὴ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα τινὶ τῷ ἐκείνῳ τρόπῳ χρώμενοι οὐδ' αὐτοὶ τῷ κοινῷ ἔτ' ἐπέστελλον, οὔτε τὴν πέμψιν τῶν νικητηρίων ἐδέξαντο καὶ διὰ τοῦτο οὐδ'*

---

1) Cohen III. Carac. 32.

2) Philol. 32 p. 49.

3) Vita. Sept. Sever. 10 (Tillemont III p. 457).

4) Vit. Pescenn. Nigri 4: se priusquam filii id aetatis haberent, ut imperare possent.

5) Herod. 3, 9. Stobbe Philol. 32 p. 49.

6) Flav. Jos. b. Jud. 7, 5, 3—7. Oros. 7, 9. Suet. Tit. 6. Eutrop. 7, 20. Zonaras 11, 17. Cohen Vesp. 567.

Zon. 11, 17: „*συνέπεμπε δὲ σφίσιν αὐτὰ καὶ ὁ Δομιτιανὸς ὑπατείων ἐπὶ κέλητος*" (Suet Dom. 2). Tillem. II p. 472. de Domitiani consulatu cfr. Klein f. coss. Chambalu, diss. „de mag. Flav." p. 11.

7) Röm. Staatsr. I p. 128 sqq.

8) Dio Cass. 54, 24, 2.

ἄλλῳ τινὶ τῶν ὁμοίων αὐτῷ (ὥς γε καὶ ἐγὼ κρίνω) ποιῆσαι τοῦτο ἐδόθη, ἀλλὰ μόναις ταῖς ἐπινικίοις τιμαῖς ἐγαυροῦντο.“

His verbis Dio Cassius non triumphi ovationisque loco ornamenta triumphalia ducibus Agrippae paribus decreta esse dixit, sed loco triumphi curulis. Namque cum primo Tiberio Claudio Neroni [1]) pro triumpho, quem senatus decreverat, insignia triumphalia ab Augusto data essent, anno insequenti haec ornamenta Druso Claudio Neroni [2]) tributa sunt simulque concessum est, ut equo urbem intraret i. e. ovationem mitteret; quos honores eosdem [3]) Tiberius frater sibi meruit anno eodem. Unde cum eluceat triumphum curulem et ovationem plane diversa fuisse, tum usu ipso apparet. Namque secundum veterem rei publicae disciplinam is tantum bello finito triumphavit, qui hoc bello nomen imperatoris acceperat, ovatio etiam sine imperatorio nomine acta est.

Hoc iudicavit Dio Cassius, qui nescio an Agrippam, receptum [4]) in donum Augusti, proconsulari imperio et tribunicia potestate auctum [4]), imperatoribus opposuerit loco supra allato.

Namque honores Druso a. 743 decretos perlustravit hisce verbis [5]): „*διὰ μὲν ταῦτα τάς τε ἐπινικίους τιμὰς καὶ τὸ ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐσελάσαι, τῇ τε τοῦ ἀνθυπάτου ἐξουσίᾳ, ἐπειδὰν διαστρατηγήσῃ, χρήσασθαι ἔλαβε. τὸ γὰρ ὄνομα τὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἐπεφημίσθη μὲν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν καὶ ἐκείνῳ τότε καὶ τῷ Τιβερίῳ πρότερον, οὐ μέντοι παρὰ τοῦ Αὐγούστου ἐδόθη.*“ Neque minus exemplis sententia nostra confirmatur:

Atque Tiberius [6]) a. 747 de Germanis triumphavit anno priore bello Germanico imperatorio nomine [7]) decoratus. Idem

1) Dio Cass. 54, 31.
2) Dio Cass. 54, 33, 5.
3) Dio Cass. 54, 34, 3.
4) Dio Cass. 53, 27. Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1094 n. 4.
5) Dio Cass. 54, 33.
6) Dio Cass. 55, 6 et 8. Vell. 2. 97.
7) Dio Cass. 55, 6, 4.

triumphum a. 763 decretum a. 765 [1]) de Pannoniis Dalmatisque egit, quo bello [2]) a. 763 nomen imperatorium receperat. Eadem ratio valuit sub principatu Tiberii. Namque Germanicus [3]), cui senatus [3]) a. 15 triumphum bello (Germanico) manente decreverat, Tiberio auctore nomen imperatoris [4]) assumpsit, deinde vere a. 17 triumphavit [5]). Drusus [6]) autem, Tiberii filius, quem in Illyrico imperatorium nomen sibi merere pater [6]) voluerat, cum hoc nomine dignus non haberetur, ovationem [7]), non triumphum adeptus est. Neque posteris temporibus ab hac ratione recessum est. Argumento est Commodus [8]), qui ex Orienti reversus, priusquam (X. K. Jan.) triumpharet, in senatu imperator appellatus est (V. k. Dec.) [8]). Huic consuetudini congruit, quod nullus princeps [9]) ullo bello confecto triumphavit, quin eodem bello acclamationem reciperet.

Neque vero e triumpho repetunda est argumentatio, Titum bellum Judaicum suis auspiciis genisse. Namque ut omittam Titum sibi suis opibus triumphi honorem paravisse, Drusus Claudius Nero, qui a. 743 legati munere fungens in Germania res gesserat, imperium pro consulare [10]) et ovationis honorem adeptus est, Tiberius, cum a. 743 et 744 legatus [11])

1) Dio Cass. 56, 17. Vell. 2, 121. Suet. Tib. 17 et 20. CIL I p. 384.
2) Dio Cass. 56, 17.
3) Tac. ann. 1, 55.
4) Tac. ann. 1, 58.
5) Tac. ann. 2, 41.
6) Tac. ann. 2, 26.
7) Tac. ann. 2, 64. 3, 11.
8) Vit. Comm. 2 et 12. Vit. Ant. phil. 27.
9) Dio Cass. 60, 22 (Claudius)
„ „ 62. 23 (Nero)
„ „ 66, 7 (Vespas.)

Domitianus a. 84, quo triumphavit, imp. V in nummis profertur, qui anno priore nondum apparet.

Traianus a. 102 imp. IV (nummi) a. 166 imp. V factus est (de la Berge Traiane l. c. p. 15. Dierauer l. c. p. 105 sqq.).

De M. Aurelio et L. Vero cf. infra p. 36. 37. 38.

10) Dio Cass. 54, 33.
11) Dio Cass. 54, 34. 36. Mon. Anc. P. V, 45, c. 30.

Pannonios Dalmatasque devicisset, de his populis a. 745 ovationem [1]) misit, triumphum autem egit Commodus [2]), bello finito imperio proconsulari auctus.

Atque id, quod iam demonstravisse mihi videor, comprobant scriptores [3]), qui Titum imperatorem faciunt triumphantem.

Imperator igitur factus est Titus inter K. Mart. et K. Jul. a. 71. Sed accuratius tempus definiri potest, quo Titus imperium proconsulare accepit. Atque Dio Cassius [4]) narrat Titum et Vespasianum e bello Judaico nomen imperatoris recipisse. Quam Dionis narrationem ut illustrem, Vespasianus et Titus imperator novam quamque acclamationem simul receperunt, praecessit autem Vespasianus filium acclamationibus sex [5]). Atque Vespasianus imp. VIIII respondet

Tito imp. III, quae acclamationes post K. Jul. a. 72 apparent [6]).

Vespasian. imp. VIII apparet a. 71 post K. Jul. [6])

Vespasian. imp. VII inter non. April et K. Jul. a. 71 [6]).

Vespasian. imp. VI non. April a. 71 [6]).

Vespasian. imp. V post comitia consularia a. 70 [6]).

Hierosolyma capta sunt IV non. Sept. [7]) a. 70, qua victoria bellum Judaicum a. 70 confectum est. Atque quaestio est instituenda, quota acclamatio Vespasiani bello Judaico nata sit. Quam priusquam absolvamus, nobis est pervestigandum, quando principes omnino ex bellis acclamationes

---

1) Dio Cass. 54, 34 et 55, 2.

2) Vit. Comm. 2 et 12. Vit. Ant. Phil. 27.

3) Flav. Jos. b. Jud. 7, 5, 4: „*ἐκεῖ γὰρ ἀνεπαύοντο τῆς νυκτὸς ἐκείνης* (nocte, quae triumphi diem antecessit) *οἱ αὐτοκράτορες*“, ibid.: „*τοὺς μὲν στρατιώτας ἀπέλυσεν ἐπὶ τὸ νενομισμένον ἄριστον αὐτοῖς ὑπό τῶν αὐτοκρατόρων εὐτρεπισθὲν.*“ Oros. 7, 9 (e Tacito): „Vespasianus et Titus imperatores magnificum agentes de Judaeis triumphum“.

4) Dio Cass. 66, 7.

5) Acclamationes Vespasiani, Titi, Domitiani diligentissime composuit Chambalu l. c. p. 21 sqq.

6) Chambalu l. c.

7) cfr. supra p. 11.

receperint. Hac in re distinguatur necesse est, utrum princeps ipse res gesserit, an alius principis auspiciis.

Si princeps ipse in armis morabatur, victoria parta a militibus [1]) imperator consalutabatur, idque semel tantum [2]) uno bello usque ad Claudii [2]) tempora. Atque novam quamque acclamationem rei publicae usum secutus iam in hostium finibus assumpsit, ita ut in nummis titulisque et ipse et senatus eam imprimendam curaret, priusquam Romam reversus lauream in Capitolio deponeret. Quam consuetudinem ut certis exemplis breviter illustrem, Augustus a. 723 pugna Actiaca [3]) sextum imperator appellatus est, qua acclamatione iam eodem anno utitur in titulo Neopolitano [4]). Idem a. 725 Romam rediit eiusdemque anni auctumno [5]) triumphavit. Proximis temporibus etiamsi certo exemplo sententiam nostram confirmare non possumus, cum aut nummi titulique nos nimis deficiant, veluti in Octaviano [6]) a. 729, 733, 745, Claudio [7]) a. 45 p. C., Traiano [8]) a. 105 (106), aut tempus reditus haud satis constet veluti in Domitiano [9]) a. 84., Traiano [10]) a. 102, certo argumento sunt Traianus, qui cum a. 113 Italiam reliquisset,

---

1) Dio Cass. 59, 22. 60, 21. Vit. L. Ver. 7.

2) Dio Cass. 60, 21. Quod princeps ipse decrevit, num acclamationem sibi oblatam reciperet, Dio Cassius consalutationem militum saepius transiit silentio (55, 6 et aliis locis).

3) Sub finem a. 725 imp. VII apparet, quam acclamationem e victoria Crassi recepit a. 725 (Dio Cass. 51, 25) (Orelli 596: cos. V des. VI imp. VII). Namque a. 733 imp. VIII exhibetur (Orelli 597 cos. XI imp. VIII tr. p. III (quod factum esse a. 729 Dio Cass. docet (53, 26).

4) IRN 3591 imp. Caesari divi (f.) imp. VI cos. IV.

5) Dio Cass. 51, 21 fast. Barb. CILI p. 478 ad a. 725.

6) Dio Cass. 53, 26 sqq. 54, 8. 55, 5.

7) Dio Cass. 60, 21 sqq.

8) De la Berge l. c. p. 19. Dierauer l. c. p. 106.

9) Imp. V. apparet in nummis non ante a. 84.

10) Namque si Dierauero consentias, Traianum a. 102, quod eo anno cos. des. est, comitiis interfuisse, nummi, qui Traianum a. 102 exhibent imp. IV cos. IV des. V (Coh. Trai. 352—55), nihil afferunt ad sententiam probandam; nisi, quod eodem a. Traianus imp. II apparet (IRN 6267) concias, hanc acclamationem ante reditum Traiani esse incisam.

complures appellationes [1]) assumpsit in Orienti, L. Verus [2]), qui ibidem a. 163 acclamationem simulque nomen Armeniaci recepit, ita ut in nummis et ipsius et senatus proferatur imp. II Armeniacus [2]). Eundem a. 165 tertiam [3]) acclamationem et nomina Parthici Maximi (Medici) recepisse et ipsius et senatus nummi docent; quae nomina milites L. Vero [4]) dedisse testis est Julius Capitolinus [4]). In urbem autem revertit L. Verus a. 166 [5]). Argumento est M. Aurelius, qui dum res gerit a. 174 et 175 in Pannonia [6]), bis imperator [7]) appellatus est, quas acclamationes illis annis nummi exhibent [7]). Quem a. 176 [8]) revertisse Romam satis constat. Haec exempla sufficiant. Neque vero principem ex victoria a se parta Romae demum acclamationem recepisse ullo certo exemplo demonstrari potest. Senatum quidem Claudio [9]), qui a. 44 arma gesserat in Britannia, decrevisse nomen Britannici Dio Cassius testis est, cum idem scriptor nos edoceat, milites [10]) ipsos Claudio acclamavisse in Britannia. Sed ne talia quidem cognomina senatus dedisse videtur, sed nonnisi sanxisse decreto; namque ut omittam, quod prodit Julius Capitolinus, M. Aurelium [11]) a. 176 in senatu imperatorem appellatum esse, quem principem a. 174 et 175 duas imperatorias appellationes assumpsisse vidimus, a. 176 [12]) nullam, L. Verum a. 166 a senatu

---

1) De la Berge l. c. p. XXX sqq.

2) Coh. L. Ver. (3 p. 1 sqq.) 2. 3. 46. 47 (tr. p. III). In Orientem a. 162 profectus erat (Tillem. II p. 368 et 554. Coh. L. Ver. 29. 30. 161. 163).

3) Apparet a. 165 in nummis permultis imp. II Armen. (Cohen l. c. 58—63. 108. 159. 179—81), in aliis imp. III Armen. Parth. Max. (Coh. l. c. 64—68. 184—186),

4) Vit. L. Ver. 7.

5) Tillemont II, p. 556.

6) Dio Cass. 71, 11 sqq. Vit. Ant. Phil. 17. 25.

7) cfr. supra p. 25 n. 3. 5.

8) Vit. Ant. Phil. 27. Vit. Comm. 2 et 12.

9) Dio Cass. 60, 22.

10) Dio Cass. 60, 21.

11) Vit. Comm. 2.

12) cfr. supra p. 25 n. 5.

accepisse [1]) nomina auctor est Julius Capitolinus, quae iam a. 165 [2]) a militibus assumpta et ipse et senatus in nummis impresserant.

Si princeps Romae remanserat, nuntio victoriae allato a senatu imperator appellatus lauream deponebat in Capitolio [3]). Neque obstat, quod Tacitus [4]) testis est, milites in Germania Tiberium Romae morantem imperatorem consalutavisse. Namque etiamsi miles, qui victor discesserat, acclamationis cuiusque auctor censendus est, princeps, si erat in urbe, patribus concessisse videtur, ut ipsi, dum litterae laureatae in curia leguntur, acclamationem sibi offerrent. Quam statim nomini suo adiungebat, neque dum victor exercitus Romam reverteretur differebat. Veluti Octavianus a. 725 [5]) e bello Armeniaco acclamationem [5]) assumpsit, etiamsi Crassus demum a. 727 [6]) Romam rediit. Idem princeps a. 763 [7]) e bello Dalmatico imperator appellatus est, quamquam Tiberius a. 765 [8]) triumphavit. Atque simili modo, quo Vespasianus et Titus, M. Aurelius tantum cum L. Vero a. 166 triumphavit [9]); neque enim moris [10]) erat, ut princeps ipse triumphum ageret, nisi bellum ipse confecerat. Atque L. Verum a. 163 simul acclamationem simulque nomen Armeniaci obtinere in nummis vidimus [11]),

---

1) Vit. L. Ver. 7.

2) cf. supra p. 36 n. 3.

3) Suet. Nero 12. Dio Cass. 55, 2. Dio Cass. 56. 17. Plin. Pan. 8. Mon. Ancyr.

4) Tac. ann. 2, 18.

5) Or. 596. cfr. supr. p. 35 n. 3.

6) CILI p. 486.

7) Dio Cass. 56, 17. Apparet hoc anno imp. XX. CILII, 2703. 2868 (tr. p. XXXII).

8) Dio Cass. 56, 17. Vell. 2, 121. Suet. Tib. 20. CILI p. 384.

9) Vit. L. Ver. 8. Vit. Ant. Phil. 12.

10) Nero a. 64, postquam Corbulonem devicisse Parthos nuntiatum est, triumphavit „παρὰ τὸ νενομισμένον“ (Dio Cass. 62, 23). L. Verus petivit (a senatu), ut frater secum triumpharet (vit. Ant. Phil. 12).

11) supra p. 36 n. 2.

eundemque factum esse a. 165 imp. III Armen. Parth. Max. Cuius frater, qui Romae a. 161—166 negotia sustinebat publica, a. 163 una cum L. Vero imp. II appellatus est, qui et in suis et senatus nummis apparet [1]), quamvis nomen Armeniaci recusaret, quod impressit senatus tantum in nummis aeneis a. 163. Hoc nomen ipse recepit a. 164 [2]).

Neque minus a. 165 cum fratre imperator appellatus est tertium, quamquam recusavit nomina Parthici Maximi, quae eum die triumphi a fratre accepisse testis est Julius Capitolinus [3]). Atque a. 165 [4]) in nummis nonnullis, a. 166 permultis [5]) apparet imp. III. Armeniacus; idem in nummis nonnullis a. 166 [6]) signatis profertur imp. III Armen. Parth. Max. Quos post triumphum esse signatos cum e testimonio Julii Capitolini efficiatur, M. Aurelium atque L. Verum imp. IIII Armen. Parth. Max, qui apparent in nummis multis [7]) a. 166 flatis, non e bello Parthico factos esse manifestum est.

Ex exemplis hisce apparet Vespasianum novam acclamationem sibi assumpsisse, simulatque Hierosolyma capta esse Romam nuntiatum est. Qui nuntius aut mari aut via terrestri per Caesaream, Antiochiam, Nicomediam, Sirmium, Aquileiam, Mediolanum in urbem pervenire potuit. Mari venisse nuntium verisimile non est [8]). Viam autem terrestrem, quae longa est tricies centena et septem milia passuum

1) Coh. M. Aur. (2 p. 455 sqq.). 18. 187. 188. 197. 745—747.
2) Coh. l. c. 1—3. 156—59. 284.
3) Vit. L. Veri 8: „nomina quae sibi delata fuerant, cum fratre communicaret (ut) die triumphi".
4) Coh. M Aurel. 65—171.
5) Coh. l. c. 172—174. 327. 387. 428. 429. 725. 726.
6) Coh. l. c. 143. 725. 767.
7) Coh. l. c. 144. 286—88. 727—31. L. Ver. 25. 69. 70. 96. 196. Cui sententiae non obstat, quod ex his nummis nonnulli in reversa parte exhibent „vic. Par." Namque etiamsi hanc inscriptionem ad triumphum spectare verisimile est, similes inscriptiones in nummis repeti solent, veluti eadem in nummo apparet a. 168 signato (Coh. M. Aurel. 390).
8) Flav. Jos. b. Jud. VI, 1, 3 in fine.

(MMMVII m. p.) [1]) cursores publici [2]) peregerunt diebus XVIII horis XIX, ita ut dubium non sit, quin Vespasianus ante comitia consularia, quae mense Novembri [3]) a. 70. transacta sunt, expugnationis acceperit nuntios. Quapropter acclamatio quinta Vespasiani ad Hierosolyma est revocanda.

Hanc rationem constare clarius apparebit, si instituemus quaestionem, unde primae appellationes quattuor Vespasiani natae sint.

Atque Vespasianus K. Jul. [4]) a. 69 a legionibus Alexandri, V. non. [5]) easdem a suis militibus imperator consalutatus est. Eiusdem anni mensibus insequentibus Dacorum [6]) seditio a Muciano opprimitur, Anicetus [7]), qui arma in Ponto moverat, devincitur, Britanni [8]) excitantur a Venuntio, bellum civile geritur in Jtalia. Ex his bellis Vespasianus imperator non appellatus est, cum nonis Martiis a. 70 in diplomate militari [9]) praenomen tantum imperatorium obtineat, altera acclamatione vacet. Hoc anno in Britannia [10]) nihil memorabile gestum est, in Germania autem Petilius Cerialis

1) Itiner. Ant. Aug. ed. G. Parthei et M. Pinder. Berlin 1848 p. 57. 58. 68. Hierosol. p. 277:

a Roma	Mediolanum	433 m. p.
inde	Aquileiam	270 „ „
„	Sirmium	401 „ „
„	Nicomediam	782 „ „
„	Antiochiam	682 „ „
„	Caesaream	323 „ „
„	Hierosolyma	116 „ „
		3007 m p.

2) Chambalu l. c. p. 8 e tempore, quo nuntium seditionis exercitum Germanicorum Galbam accepisse Tacitus auctor est (hist. 1, 14. 17. 18. 56.), effecit, cursores quotidie perfecisse CLX m. p.
3) Chamb. l. c. p. 17.
4) Flav. Jos. b. Jud. 4, 10, 4. Tac. hist. 2, 79. Suet. Vesp. 6.
5) Tac. hist. l. c. Suet. Vesp. 6.
6) Tac. hist. 3, 46.
7) Tac. hist. 3, 47.
8) Tac. hist. 3, 45.
9) CILIII p. 849.
10) Tac. hist. 3, 45. Agric. 16. 17: „usque ad adventum Petilii Cerialis", qui hieme a. 70—71 in Britanniam traiecit (Tac. hist. 5, 23).

aestatis initio Valentinum[1]) Rigodoli in Trevirorum finibus devictum cepit, proximis deinde mensibus parva inter proelia peractis circa IX. K. Octobres[2]) Civilem fugavit et promissis Germanos Batavosque Romanis conciliavit[3]).

Quas ob victorias Vespasianus bis imperator appellatus esse videtur, quarta[4]) autem acclamatio ad cladem referenda est, quam Rubrius Gallus[5]) Sarmatis intulit, qui a. 70 Moesiam praedaturi invaserant; unde tandem quintum imperator consalutatus sit, haud scio, nisi ex expugnatione Hierosolymorum.

Vespasianus igitur acclamationem e bello Judaico assumpsit, priusquam Titus nomen imperatorium obtineret. Jdem propterea, quod filio nomen imperatorium tribuit post K. Mart. a. 71, ipse imperator appellatus non est, id quod exemplis supra[6]) satis demonstravimus. Unde apparet acclamationes Vespasiani VI, VII, VIII non cohaerere cum Titi nomine imperatorio. Sed Vespasiano imperatori VIIII Titum imperatorem III respondere supra[7]) vidimus. Jtaque Vespasianum imp. VIII, Titum imp. II simul factos esse concludendum est, quas acclamationes unde receperint certum non est, fortasse e bello Britannico. Neque enim Titus e bello Judaico imp. II factus est. Namque ut omittam Titum duas acclamationes, postquam Vespasianus imperator appellatus esset octavum, recepturum fuisse, id quod verisimile non est, quia Vespasianus imp. VII post non. Mart., imp. VIII demum post K. Jul. apparet, haec ratio consuetudini communi omnium temporum repugnaret. Atque Mommsenius[8]) exemplo Germanici demonstravit, imperium proconsulare, si

---

1) Tac. hist. 4, 71. cfr. 4, 85.
2) Tac. hist. 5, 21—23: „crebris per aequinoctium imbribus".
3) Tac. hist. 5, 23 sqq.
4) Praenomen imperatoris in acclamationum numero primum locum obtinet (Momms., Röm. Staatsr. II², p. 757).
5) Flav. Jos. b. Jud. 7, 4, 3. cfr. Tac. hist. 4, 54.
6) cfr. supra p. 20 sqq.
7) supra p. 34.
8) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1097 n. 3.

acclamatio accedebat, vim acclamationis non habuisse. Qua quamquam argumentatione uti non licet, cum Titi imperium proconsulare cognomine imperatorio significatum esse viderimus. Sed praenomen cognomenve imperatoris in numero acclamationum primum locum obtinebat[1]), unde apparet, etiam vim acclamationis huic cognomini vel praenomini fuisse subiectam.

Atque principes, qui primum a militibus, deinde a senatu imperatores appellati inierunt principatum, praenomen aut cognomen imperatorium nudum assumpserunt[2]), si vero iam antea complures acclamationes obtinebant, harum numerum suscipiendo principatu non auxerunt[3]). Neque magis Traianus[4]) a. 97 imp. II factus est, cum initio principatus praenomen[4]) tantum imperatorium obtineat. Illustri autem argumento est Commodus, qui bello Pannonico finito imperator factus cum patre triumphavit. Namque praenomine imperatorio auctus V. K. Dec.[5]) a. 176, anno insequenti alteram acclamationem[6]) assumpsit ipse, pater eis nonam.

Acclamationum igitur comparatione efficitur, Titum imperatorem factum esse, cum Vespasianus recepisset acclamationem septimam, aliquo temporis spatio post non. April. a. 71. Ad idem tempus Titi reditus atque triumphus sunt revocandi. Namque Alexandria Brundisium statim[7]) traiecit, ita ut statos aestivis flatibus dies, quos Vespasianum[8]) anno priore Alexandriae exspectavisse Tacitus prodidit, iam tunc venisse appareat[9]).

---

1) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 757.
2) Hoc notius est, quam quod exemplis sit illustrandum.
3) cfr. Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1097.
4) Vacat X. K. Mart. a. 98 in diplomate militari (CILIII, p. 862) imperatoria acclamatione.
5) Vit. Comm. 2 et 12. Coh. Commode 547.
6) Nummi Commodi et M. Aurelii permulti a. 177 signati has proferunt acclamationes.
7) Flav. Jos. b. Jud. 7, 5, 3.
8) Tac. hist. 4, 51.
9) Idem fere tempus ex itineribus, quae Titus a. 70—71 in Orienti fecit, efficitur. Hierosolyma capta sunt IV. non. Sept. a. 70. Tribus diebus sequentibus Titus in conviviis cum commilitonibus versatus Caesaream

Qua de causa Titus ad id tempus imperator designatus esse censendus est, quo in Italiam adveniret. Neque iam causa

maritimam cum duabus legionibus contendit, quae via longa est m. p. CXVI (Hierosolym. ed. Parthey et M. Pinder p. 277). Inde Caesaream Philippi proficiscens spatium circa m. p. CVIII permensus est (Flav. J. b. Jud. 7, 2). Viam, quae ducat a Caesarea maritima Caesaream Philippi, neque in Itin. Ant. Aug. neque in Hieros. inveni. Quapropter paris fere viae a Caesarea maritima per Scytopolin ad oppidum Aere ferentis spatium computavi (Itin. Ant. Aug. p. 89). Qua in urbe diutius moratus (Flav. Jos. b. Jud. 7, 2). Caesaream maritimam revertit, ubi diem natalem fratris celebravit IX. K. Nov. (Flav. Jos. b. Jud. 7, 3, 1. Suet. Dom. 1. IRN 212). Duobus igitur et quadraginta diebus spatium permensus est m. p. CCCXXXII, cotidie igitur m. p. VIII. Caesarea autem maritima duxit Berytum (Fl. J. b. Jud. 7, 3, 1). Ibidem aliquamdiu moratus diem natalem patris celebravit XV. K. Dec. (Flav. Jos. b. Jud. 7, 3, 1. Suet. Vesp. 3). Viginti igitur quattuor diebus spatium m. p. CXXX perfecit (Itin. Ant. Aug. p. 68. 69), cotidie V m. p. et quingenos. Beryto Antiochiam iter fecit, quae via (p. 68) longa est m. p. CCXXXVII. Quo in itinere in singulis Syriae urbibus, quas permigravit, magnifica edidit spectacula (Flav. J. b. Jud. 7, 5, 1). Unde concludendum est, Titum ·ne hoc quidem in itinere cotidie plus confecisse quam V m. p. et quingenos, ita ut circa III. K. Jan. a. 71 Antiochiam adveniret. Ubi non moratus est, sed e vestigio Zeugma oppidum ad Euphratem situm petivit Hoc in itinere per Apamiam, Calcidum Cyrrhum confecit spatium m. p. CCXXXV (Hieros. p. 276 et 277. Itin. Ant. Aug. p. 87. 88. 84). Atque quantum spatium citato agmine cotidie peregerit, e Flavio Josepho colligi potest. Qui Titum ex urbe Tani ad urbem Japha, quae spatio m. p. CCXXXIII distant, quattuordecim diebus pervenisse memoriae prodidit (Fl. J. b. Jud. 4, 11, 5), ita ut singulis eum diebus m. p. XVI permensum esse computatio reddat. Quam rationem si sequamur, quamquam Titum propter praedam (Fl. J. b. Jud. 7, 5, 5) captivorumque multitudinem magnis itineribus contendisse verisimile non est, legiones Romanas circa id. Jan. Zeugma advenisse efficitur. Ibi Titus a legatis Vologesi regis Parthorum coronam auream accepit eosque adhibuit convivio. Deinde Antiochiam regressus est, quam in urbem secundum eandem rationem advenisse censendus est circa K. Febr. Antiochia autem Hierosolyma descendit. Neque errare mihi videor, si Titum alimentorum causa alia via atque antea Syriam permigravisse conicio, praeter Apamiam, Emesam, Damascum, Scytopolin. Haec via longa est m. p. CCCCLXII (Itin. Ant. Aug. p. 83. 89. Hier. p. 276. 277), quod spatium citatiore agmine peragere potuit diebus XXX, ita ut Hierosolyma perveniret circa K. Mart. Atque Hierosolymis Alexandriam contendit spatium permetiens m. p. CCCC (Fl. J. b. Jud. 7, 5, 3). Itaque hanc urbem potissimum circa IV. K. April. intrare potuit. Postremo, etiamsi

latet, quod Titus sub finem a. 70 imperator non factus (veluti Germanicus [1]) a. 14, Traianus [2]) a. 97 in Germania imperium proconsulare acceperunt) sed designatus est:

Vespasianus militibus Judaicis urgentibus publice indulgere noluit. Quare se imperium cum filio communicaturum esse promisit, si is exercitu dimisso auctoritati patris publice cessisset.

Designatione autem filio concessit, ut imperatorium nomen more principum obtineret. Atque in nummis, quos Vespasianus a. 71 et 72 cudendos curavit, Titus apparet aliis [3]) Imp. Caes. Vesp. Aug. f., in aliis [4]) T. imp. Caesar cos des. II. Idem in nummis, quos ipse signavit a. 74 [5]), profertur T. Caesar imp. Vespasianus aut T. Caesar imp. Vespasian. imp. VIII, neque minus in nummis annis insequentibus a se ipso signatis cognomine imperatoris utitur.

Atque iam supra [6]) vidimus Titum imperatorem omnes acclamationes cum patre assumpsisse, id quod collegae imperii non fecerunt, nisi qui nomen imperatorium sic receperant [7]), ut totius nominis esset pars integra. Propterea mirum videtur, quod senatus in nummis Titi, quos ex anno 72 feriundos curavit, non impertivit Tito nisi acclamationem imperatoriam, cui a. 72 in nummis permultis numerum adiunxit III vel IV [8]), quem alias semper omisit. Quam senatus diversam rationem ad cognominum compositionem temporibus Vespasiani fluctuantem revocandam esse censuit Mommsenius [9]). Sed nescio

mihi non assentiaris, Titum aliquo tempore post IV. K. Apr. Alexandriam pervenisse, hoc certum est ante K. Mai. a. 71 eum Romam non advenisse.

1) Tac. ann. 1, 14, 39.

2) Plin. Pan. 59.

3) Cohen Vesp. Tit. 1—5. 6. Vesp. Tit. Dom. 8. Sallet, Ztschr. f. Numism. V p. 246 sqq. Vesp. 204. 537.

4) Coh. Vesp. 536.

5) Mommsen, Wiener Num. Ztschr. 3 p. 462.

6) supra p. 25 n. 6.

7) cfr. supra p. 25.

8) Cohen Tit. 28. 29. 40. 193. 201. 229. 230. 231. 234. 235. 237. 238. 380. 383.

9) Mommsen, Röm. Staatsr. II², p. 1096 n. 6. Wiener Num. Ztschr. 3 p. 458 sqq.

an in eo offendas, quod et Titus et senatus suam semper rationem secuti sunt. Huc accedit, quod in nummis aeneis [1]) acclamationes rarius apparere solent, quam in aureis argenteisve. Itaque non possum non assentiri sententiae, quam protulit Chambalu in dissertatione [2]) iam saepius laudata, hanc diversam nominum compositionem ad aemulationem Vespasiani atque Titi spectare, praecipue cum hanc sententiam etiam aliis momentis ex nummis sagaciter conquisitis confirmaverit.

Haec aemulatio ultimis a. 70. mensibus nata aliis argumentis illustratur certissimis, quibus non minus apparebit, Titi auctoritatem maiorem fuisse quam Vespasiani.

Atque quod Titus prope omnium officiorum curam [3]) recepit, praefectura praetorii [3]) functus est, censuram [3]) cum patre gessit, ad voluntatem Vespasiani plane referas. Neque vero de consulatu, quem Titus iniit K. Jan. [4]) a. 72, idem est iudicandum.

Ex a. 72 Titus patri collega fuit in omnibus consulatibus sex [5]), neque minus K. Jan. a. 70 Alexandriae [6]) cum patre fasces susceperat. Quapropter nescio an in eo offendas, quod a. 71 [7]) M. Cocceius Nerva cum Vespasiano consulatu functus est ordinario. Neque enim quominus Titus eum iniret, quod extra Italiam morabatur ullo modo obstabat. Veluti, ut a principibus recedam, C. Caesar [8]) a. 754 in Syria, Germanicus [9]) a. 17 apud Nicopolin, Traianus [10]) a. 98 in

1) Octaviano Augusto nullus nummus aeneus nomen imparatoris tribuit. Claudius in nummis aeneis non apparet nisi Ti. Claudius Caesar Aug. p. m. p. p. imp., in suis nummis imp. V et c. Vespasianus in suis tantum nummis acclamationes imprimendas curavit. (Coh. Vesp. 209—211. 213. 215. 219. 221).

2) Chamb. l. c. p. 28 sqq.

3) Suet. Tit. 6.

4) Klein fas. coss.

5) Suet. Tit. 6. Klein fast. coss.

6) Klein fast. coss.

7) Klein l. c.

8) Klein l. c. Dio Cass. 55, 10 a.

9) Klein l. c. Tac ann. 2, 53.

10) Klein l. c. Plin. Pan. 59.

Germania, Aelius Verus [1]) a. 136 A 137 in Pannonia, Clodius Albinus Caesar [2]) a. 194 in Britannia, Caracalla [3]) a. 202 in Syria, consulatus inierunt. Sed mense Novembri a. 70 [4]), quo comitia [4]) consularia facta sunt [5]), suspicionem natam fuisse memineris, quasi Titus a patre descisceret. Qua de causa Vespasianum, etiamsi filio designationis nuntium misit, in urbe, quantum posset, auctoritatem suam servare studuisse videmus.

Atque a. 71 in comitiis vernis Vespasianus [6]) cos IV, Domitianus [7]) cos II designati sunt, in comitiis posterioribus Titus [8]) cos II designatus est. K. autem Jan. [9]) a. 72 Vespasianus et Titus fasces susceperunt, Domitianus [10]) K. Jan. a. 73 cum M. Valerio Messalino consulatum iniit. Quid? estne designatus Domitianus vernis in comitiis a. 71 ad. K. Jan. a. 73? sicut Claudius [11]) a. 44 consul designatus est in a. 47, Nero [11]) iam III. non. Jan. a. 59 apparet cos. design. IIII ad K. Jan. a. 60. Neque enim huc pertinet, quod Caesares [12]) nonnulli sic consules designati sunt, ut hunc consulatum vicesimo aetatis anno inirent. Sed ut omittam, Claudium et Neronem fuisse principes, illum autem propter ludos saeculares iam a. 744 esse designatum, cur Titus non eisdem in comitiis vernis, quibus Vespasianus, consul designatus est,

1) Klein l. c. vit. Hel. Ver. 3: „Pannoniis dux ac rector impositus, mox consul creatus et quia erat deputatus imperio iterum consul designatus est“. Idem Romam revertit paullo ante K. Jan. a. 138 (vit. 4).

2) Klein l. c. Dio Cass. 73, 15: „καὶ ὁ μὲν Ἀλβῖνος κατὰ χώραν ἔμεινεν (cfr. 73, 14, 3 τῆς Βρεταννιας ἄρχων; cfr. Herod. 3, 7, 1).

3) Klein l. c. vita Sept. Sever. 16.

4) cfr. Chambalu l. c. p. 16. 17.

5) Illo mense iam nuntium victoriae Romam venisse vidimus (cfr. supra p. 39).

6) Chamb. l. c. p. 17.

7) Chamb. l. c. p. 10. 11.

8) Chamb. l. c. p. 17 (Coh. Vesp. 46—51. 204. 536).

9) Klein fast. coss.

10) Klein fast. coss.

11) Mommsen, Röm. Staatsr. I, p. 567 n. 5 et p. 568 n. 1.

12) Mommsen l. c. I, p. 568 n. 4.

id quod[1]) factum est a tertio usque ad septimum Titi consulatum, sed mense Novembri[2]) in comitiis posterioribus? Atque quomodo res se habeat, luce clarius est.

Domitianus enim suffragante Vespasiano in comitiis veris a. 71 consul II designatus cum patre consulatum initurus erat K. Jan. a. 72. Titus autem, cum aestate[3]) a. 71 Romam revertisset, eum honorem, quem se denegare filio maiori designatione Domitiani ostenderat Vespasianus, sua auctoritate assecutus est consul designatus mense Novembri, ut secundum morem principum initio imperii fasces susciperet. Fratris autem consulatus in annum 73 dilatus est, neque Domitianus cum patre, sed cum privato fasces gessit. Unde apparet Suetonium[4]) errare, cum dicat: „in sex consulatibus non nisi unum ordinarium gessit eumque cedente et suffragante Tito". Namque Domitianus cessit neque Titus suffragavit, praecipue cum vere a. 71 Romae non adesset, sed Vespasianus.

Sed cum ratio, qua Titum imperatorem factum esse demonstrare conati sumus, consulatibus a. 71, 72, 73 illustretur, tum omnino elucescere putavi, non Vespasianum, sed Titum fuisse, qui Domitianum a muneribus publicis removeret. Quapropter plane falso dictum esse nego, id quod Domitianus saepius iactavit[5]), „relictum se (a patre) imperii participem, sed fraudem testamento adhibitam", praesertim cum Vespasianum in curia pronuntiavisse Suetonius ipse prodat[6]), „aut filios sibi successuros aut neminem."

Namque illa Titi erga patrem pietas a scriptoribus saepius laudata quid sibi velit, satis mihi videor exposuisse. Quod vero Suetonius in medium protulit Titum suffragantem fratri concessisse consulatum, quem quamvis Vespasianus filio minori designavisset, ipse Titus iniit loco Domitiani, nonne

1) Chambalu l. c. p. 17.
2) Chamb. l. c. p. 17 (Coh. Vesp. 46—51. 204. 536).
3) cfr. supra p. 41 ibique n. 9.
4) Suet. Dom. 2.
5) Suet. Dom. 2.
6) Suet. Vesp. 25.

demonstrat, ea omnino inepta dicta esse, quae idem scriptor de Titi amore erga fratrem gloriose narravit?

Quam sententiam ut novo argumento confirmem, Suetonius[1]) ad benevolentiam Titi illustrandam profert, eum testatum esse fratrem consortem atque successorem, etsi Domitianum sub principatu fratris neque imperio proconsulari neque tribunicia potestate auctum esse constat.

Denique odio, quo Domitianus non tam in patrem quam in fratrem adeo flagravit, ut non solum instituta Titi[2]) tolleret, sed etiam „obliquis eum orationibus carperet", quali amore Titus fratrem amplexus sit, optime illustratur.

1) Suet. Tit. 9.
2) Dio Cass. 67, 2. Suet. Dom. 2.

Vita.

Natus sum Franciscus Josephus Hoffmann in oppido Linz ad Rhenum sito a. h. s. LVIII die XXI. mensis Augusti patre Georgio matre Maria e gente Pauli, quibus adhuc superstitibus gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus auctumno a. LXIX in patria urbe receptus sum in progymnasium, quod floret auspiciis viri praestantissimi *Josephi Pohl.* Inde vere a. LXXVI Confluentia ad gymnasium me contuli. Ubi optime de me meruit *Binsfeld* director. Sed gratam teneo memoriam alius quoque viri doctissimi *Emili Worbs,* nunc professoris honoribus ornati. Maturitatis testimonio instructus a. LXXVIII die I. mensis Maii in hac alma litterarum sede civis factus per novies senos menses operam dedi studiis philosophicis, historicis, philologicis. Docuerunt me *Bernays, Buecheler, Klein, Leo, Maurenbrecher, J. B. Meyer, Neuhaeuser, Philippson, Schaefer, Usener, Wilmanns.*

Ut per quinquies senos menses exercitationibus historicis interessem benigne concesserunt *Maurenbrecher, Menzel, Ritter, Schaefer. Buecheleri* praeterea et *Useneri* benevolentia interfui per tria semestria disputationibus philologis extra ordinem habendis. — Quibus viris omnibus gratias ago debitas; praecipue vero *Schaeferi,* humanissimi et doctissimi praeceptoris, memoriam pientissimo semper animo colam.

Sententiae controversae.

1. Quod ait Plinius (Pan. 21) alios principes nomen patris patriae primo principatus die recepisse, referri non potest nisi ad Domitianum atque Nervam.
2. „Novi imperatores“, quos aliis destinatos consulatus in se transtulisse dicit Plinius (Pan. 57) sunt Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus, fortasse etiam Domitianus et Nerva.
3. C. Silius a. 47 in Kal. Jan. a. 49 consul designatus est.
4. Aut Domitianus a. 83 e Germania revertit aut absens consul designatus est in decem annos.
5. Iam Claudii temporibus in sacerdotia omnia supra numerum cooptari licuit (cfr. Henzen Act. fr. Arv. p. III).
6. Qui principis iuventutis nomine decoratus imperium proconsulare accepit, hoc nomen non amisit.
7. Stobbei sententia (Philol. 32 p. 32) Nervam cum Traiano initio mensis Januarii a. 98 diem imperii constituisse, causis nititur gravioribus, quam Mommsenii (Röm. Staatsr. II^2, p. 776 n. 2) hunc diem IV. id. Dec. a. 97 esse constitutum.
8. Tacitus historiarum libro quarto res urbanas usque ad mensem Julium descripsit.
9. Quos legatos Livius a. 172 (42, 19) et a. 171 (42, 45) in Asiam et circum insulas missos esse prodidit, eidem sunt legati, qui a. 172 in Asiam profecti sunt (Polyb. 27, 3 sqq.).

10. Pulchros gentis Claudiae antiquam fuisse stirpem (Momms. Röm. Forsch. I, p. 50. 113) aqua Nerones atque Centones se seiunxerint, neque scriptores neque inscriptiones comprobant.
11. Plin. nat. hist. XVIII, 2, 270 delendum est „prodromi“ (cfr. II, 47, 123).
12. Plut. Tib. Grac. C. 15 corrigendum est *ἐπαχθέστερον* pro codicum lectione *ἐκπαθέστερον*.
13. Xen. An. V, 7, 34 sic elegendum est: *τοὺς μὲν τούτων ἄρξαντας δεῖν δοῦναι δίκην*.
14. Verg. Aen. IX, 208 „vox“ pro lectione „nox“ coniciendum videtur.
15. Diploma apud Beyerum I, 580, non sunt litterae capituli maioris ecclesiae per se scriptae, sed quod dicunt Willebrief ad I, 579 (a. 1154).